REGIA LITT. UNIVERSITAS HUNG.
CLAUDIOPOLITANA

# IOANNIS BOLYAI

# IN MEMORIAM

REGIA LITT. UNIVERSITAS HUNG.
CLAUDIOPOLITANA

# IOANNIS BOLYAI
## IN MEMORIAM

REGIA LITT. UNIVERSITAS HUNG.

CLAUDIOPOLITANA

# IOANNIS BOLYAI

## IN MEMORIAM

Az Úr Jó nekie leveleket írok, de közel vagyunk 's jó, nem kerül ollyan installom költségben meg, nekie levelével mindég úgy 's mint (a) tsak lehet, sperlha akármellyen neheret le 50;38-1 Ge

Kedves édes Apám.

Annyi temérdek meg-férni valom van az ujj találmányomról, most nem tudok másként segitni magamon, mint kadetnabeli 's tsak egy Quartiron irok; válaszsát a levelemre várom; 's talám már nem irtam volna a' Báronénak írt levelet nem akartam volna je alá tenni, melyek által adására install.

Leg-előbb válaszollok a' Binomiumra. Quo ad exp. i tökélletes úgy a' mint meg-irta, hanem persze már formáját, hogy azzal a' nemivel lehessen élni a' demo sai Coëffek törvénnye esmeretlen, mint annak niostol, úgy nem lehet applicalni azt a' mikot, ha sentziara ab inductione elöve ki-tsinálja az sötétbe való tapogatás volna, mert a' generalis esmerve, honnét mehetnék reá, hogy $a^3+3a^2b+3ab^2$ jön: $a^3+3a^{3-1}.b+\frac{3.2}{1.2}a^{3-2}.b^2+\frac{3.2.1}{1.2.3}a^{3-3}b^3$? Az E nak az a' Vonzmánya; hogy nagyon rövid; La Írók ugyan mind demonstrálják a' binomiale th rigorosé véve tsak pro integr. posit. valéal, fog, hogy generaliter demonstratja cum rigore könnyje, ott az övé se ér semmit; pro ínf. posit. tortatva szép. Én azt gondolom, hogy pro int tetebb és (s szép legrövidebb) egyszerebb azt az, mely a' Combinat mivel az a' közönséges multiplicatioból requ diate. A' Combinatioknak és Permutatioknak (m ának hosszszan 's zavaroson) én husz rena ba fogott papirosra, (már régen) olly evidens és könn ját irtam le, hogy bátran mondhatom: non plus

m[illegible] rosz zavaros; a[illegible]

[illegible]

---

Már! ha dinkkal

ex ponen

ki-fejti az

Y ha tová

a' Coëffi

a' Tény.

be quanti

hogy ha

meg pedig

lesd bizo

ha minden

$= 2q, = 3q$

negativ, a

$(1+qx+q$

tettük, h

positiv,

$+\frac{m.n}{m}($

1

positiv,

Meg-jegy

series, m

Coëffjei

stratio m

mintha

(1+

qu serie

ponentek

A' fel-tétele

Ő Nagysá... nekie levelekbe irok, de közel vagyunk ... kérül ... installációd kötelessen meg nekie levéllel mindég ... 's mint ... tsak lehet, sperlha akármilyen nehezek le... 50;38-1 Ge...

Kedves édes Apám.

A' mennyi temérdek lelen meg-férni valóm van az ujj találmány... most nem tudok másként segitni magamon, mint... kadet...bele, 's tsak egy Quartára irok; válaszsát a' levelemre várom; Talám már nem irtam volna... a' Báronénak irt levelet nem akartam volna... jé alá tenni, melyek által adására installa...

Leg-elébb válaszolok a' Binomiumra. Quo ad exp. i... tökélletes ugy a' mint meg-irta, hanem persze már t... formáját, hogy azzal a' némivel lehessen élni a' deme... sa: Coëffek törvénnye ismeretlen, mint annak... niozta, ugy nem lehet applicalni azt a' mibt, ha... tentziára ab inductione elöre ki-tsinálja az... sötétbe való tapogatás volna, mert a' generalis... esmerve, honnét mehetnék rea, hogy $a^3+3a^2b+3ab^2$... jön: $a^3+3a^{3-1}b+\frac{3.2}{1.2}a^{3-2}b^2+\frac{3.2.1}{1.2.3}a^{3-3}b^3$? Az E... nak az a' Nonymja; hogy nagyon rövid; a... Irók ugyan mind demonstrálják a' binomiale th... rigorose véve tsak pro integr. posit. valéat, ... fog, hogy generaliter demonstrálja cum rigore... ...nője, ott az övé se ér semmit, pro int. posit... tozhatva szép. Én azt gondolom, hogy pro int... tesebb és egyszerűbb (szép-leg-rövidebb) azt az, mely a' Combinat... mivel az a' közönséges multiplicatiotól regu... diate. A' Combinatioknak és Permutatioknak (m... irnak hosszan 's zavaroson) én huszrena... ba fogok papirosra, (már reggen) olyan evidens és könn... ját irtam le, hogy bátran mondhatom: non plus... ... rosz, zavaros; ...

[illegible]

Már! ha... dinikkel... exponens... ki-fejti az... 's ha tovább... a' Coëffek... a' Dem.na... be quantitj... hogy ha... meg pedig... lesz bizon... ha mindene... $=2q, =3q$... negativ, a'... $(1+qx+q$... tettük, ha... positiv; ... $+\frac{m.n}{m}($... 1. ... positiv; Meg-jegy... series, m... Coëffjei... stratio m... mintha (1... qu series... ponentek... A' feltétele...

ion két sorát egymással multiplicaltatik, mindenik tag mun

i ∞, bizonyos, hogy egy seriesbe jő ki az x potentiaikat, n-étől

0-tól mind eggyel kimek in ∞. Ha a' 3 első tagot

...mber, meg-lesszük, hogy $(1+qx+\dots)(1+px+\dots)=1+(p+q)x+\frac{(p+q)(p+q-1)}{1\cdot 2}$

űzné az ember a' calculust, mind ezen törvény szerént menne

's már itt van egy ... az Euler Apámtól ...

k a' maga hellyén, mivel már látszik a' törvény, 's egyszer

az eszébe, hogy az mind ugy fog menni. De mondjuk tehát

az ez a' törvény az $n^{dik}$ ...-ről, igaz az $(n+1)$dikről is

igen szép, elmés formába 's simplificalva. Már tehát annyi bizo

os, hogy $(1+qx+\frac{q(q-1)}{1\cdot 2}x^2+\dots)(1+px+\frac{p(p-1)}{1\cdot 2}x^2+\dots)=1+(p+q)x+\frac{(p+q)(p+q-1)}{1\cdot 2}x^2$

k series az ∞-be fut. Legyen már p s.a.t. = q, ...

...$=mq$, (az hol m egész positiv szám, mert nem lehet ...

mint hirtelen ...

$\frac{-1)}{2}x^2+\dots)^m=1+mqx+\frac{mq(mq-1)}{1\cdot 2}x^2+\dots$ Már mivel fel

q akármi lehessen, legyen $q=\frac{n}{m}$, a' hol n is egész

...mint m volt; lesz $\left(1+\frac{n}{m}x+\frac{\frac{n}{m}(\frac{n}{m}-1)}{1\cdot 2}x^2+\dots\right)=1+\frac{mn}{m}$

$\frac{n}{m}-1)$ $x^2+\dots=1+nx+\frac{n(n-1)}{1\cdot 2}x^2+\dots$, 's mivel n egész

további $=(1+x)^n$; 's tehát $(1+x)^{\frac{n}{m}}=1+\frac{n}{m}x+\frac{\frac{n}{m}(\frac{n}{m}-1)}{1\cdot 2}x^2+$

kendő, hogy $(1+\frac{n}{m}x+\dots)$nek az $m^{dik}$ potentiaja egy (Q.E.D.

vel $(1+nx+\dots)$. meg-szakad; a' következendő tagok

...nd $=0$. Egy kisség különösnek találom, hogy a' demon

...ciból (melly nékem tökélletesen ...), ugy tetszhetnek

... = volna az is ... felé menő ...

...seria ... meg értekezödünk; negativ ex

-probáljuk ki. Már egyebet, a mennyi tér

...helyt rendbe szedem, el-készitem, 's most leszsz, a' p

... a' villantatba mint találása, de azaz ...

# LIBELLUS

POST SÆCULUM QUAM

# IOANNES BOLYAI DE BOLYA

ANNO MDCCCII A. D. XVIII KALENDAS IANUARIAS

CLAUDIOPOLI NATUS EST

## AD CELEBRANDAM MEMORIAM EIUS IMMORTALEM

EX CONSILIO

ORDINIS MATHEMATICORUM ET NATURÆ SCRUTATORUM

REGIÆ LITTERARUM UNIVERSITATIS HUNGARICÆ

FRANCISCO-JOSEPHINÆ CLAUDIOPOLITANÆ

EDITUS

CLAUDIOPOLI

MCMII

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ BUDAPESTINENSIS.

# LECTORI SALUTEM.

Mathematicorum et naturæ scrutatorum huius universitatis ordo in sessione anno MDCCCIC a. d. XIV. Kalendas Ianuarias habita ad sollemnia centenaria diei illius celebranda, quo die

IOANNES BOLYAI

natus est, natalem eius domum tabula ornandam et libellum edendum decrevit, quo, quantum geometria absoluta, a IOANNE BOLYAI condita, ad disciplinas mathematicas sæculo undevicesimo promovendas valuerit, demonstretur.

Quem librum sempiterna lingua Latina conscriptum et societatibus doctis litterarumque universitatibus et artis mathematicæ cultoribus totius orbis offerentes, facere non possumus, quin gratias quam maximas agamus cum Summo Ministerio per Regnum Hungaricum rebus sacris atque institutionibus publicis præfecto, quod liberalissime pecuniæ præsidia ad libellum edendum necessaria præbuerit, tum Academiæ litterarum Hungaricæ, cuius voluntate benifica fieri potuit, ut simulacrum epistolæ a IOANNE BOLYAI ad patrem datæ, quæ maximi ad geometriæ absolutæ historiam momenti est, in initio libelli poneremus, tum vero viris clarissimis, qui huic libello conscribendo operam non denegaverunt.

Proinde hic libellus, qui testimonio sit patriam summi, quem tulit, viri memoriam colere et observare, prodeat et pro sua parte efficiat, ut disciplinæ a IOANNE BOLYAI conditæ studium crescat et augeatur.

Dabamus anno MCMII a. d. XVIII Kalendas Ianuarias, Claudiopoli in Hungaria, ex decreto Ordinis mathematicorum et naturæ scrutatorum Regiæ litterarum Universitatis Hungaricæ Francisco-Iosephinæ Claudiopolitanæ:

LUDOVICUS SCHLESINGER,
huius libri redactor.

IULIUS FARKAS,
h. t. decanus.

# CONTENTA.

# NOTANDUM.

Dissertationes II, III præterea operum indicis introductionem RUDOLPHUS FUCHS, philosophiæ candidatus, epistolam IOANNIS BOLYAI autem GABRIEL FINÁLY DE KEND, philosophiæ doctor, in sermonem Latinum vertit. Dissertationum versio ab auctoribus diligenter examinata est, qua in re FINÁLY, vir doctissimus, correcturæ plagulis legendis operam non denegavit.

# EPISTOLA CUIUS SIMULACRUM HUIC LIBRO PRÆFIXUM EST

A

## IOANNE BOLYAI

AD WOLFGANGUM BOLYAI PATREM DATA

IN LATINUM CONVERSA.

50; 38-1, Temesvarini, $3^{tia}$ Nov. 1823.

Carissime Pater!

Tam multa eaque gravia ad te de novis meis inventis scribenda habeo, ut nunc nequaquam alio modo mihi consulere possim, nisi nullis alliis rebus indulgens quartam solam plagulam perscribam. Exspecto responsum tuum, quod ad meas litteras duarum plagularum mihi debes. Forsitan nihil scripseram antequam tuas litteras accepissem, nisi litteras ad coniugem Baronis datas atque in involucrum ad te missum inclusas mittere voluissem, quas ut tradas, humillime te rogo, Carissime Pater.

Omnium primum respondebo tibi de Binomio. Demonstratio quoad exponentes integros positivos, ita ut conscripsisti, perfecta est, scilicet si forma seriei a priori nota est, ut eo genere demonstrationis uti possimus; at si lex coëfficientium nequaquam nota est, ut fuit ei, qui primam inquisitionem formulæ fecit, hic modus applicari non potest, nonnisi formulæ ad secundam et tertiam potestatem ab inductione præformentur; at hoc idem est ac in caligine volutari, serie enim generali plane ignota unde deducatur fore, ut formula

$$a^3 + 3a^2b + 3ab^2 + b^3$$

formulæ

$$a^3 + 3a^{3-1}b + \frac{3 \cdot 2}{1 \cdot 2} a^{3-2} b^2 + \frac{3 \cdot 2 \cdot 1}{1 \cdot 2 \cdot 3} a^{3-3} b^3$$

subscribatur? Demonstratio autem tua, Carissime Pater, habet propriam laudem, quia brevissima est. Lacroix queritur a scriptoribus

*

quidem omnibus demonstratum esse theorema binomiale, sed demonstrationem rigorose tantum pro [exponente] integro positivo valere, itaque ipse generaliter cum rigore demonstrare cœpit, sed ubi difficultates incipiunt, etiam eius demonstratio hæerescit, quamquam pro integro positivo nimirum valet et rite mutata etiam pulchra est. Ego autem credo pro integro positivo naturæ maxime conveniens, quinimo directissimum ac prope brevissimum iter esse, quod ex theoria combinationum sequitur, quia immediate fluit ex regula multiplicationis nota. Theoriam combinationum et permutationum, (de qua tantum longe et confuse scriptum est) iam dudum tam evidentem, facilem directamque in viginti plagulis octava forma conscripsi, ut facile dixerim: non plus ultra. VEGA etiam multum operæ dedit huic theoriæ, quæ apud eum nimia arte ac studio effiicta, tamen pessima confusaque est; in fine partis primæ parvum additamentum etiam legitur.

Iam transeo ad partem alteram demonstrationis, quæ vere pulcherrima, evidentissima et quoad rei naturam brevissima etiam est, sed ut scripsisti, Carissime Pater, abest complementum, quod in casu seriei decrescentis essentialiter necessarium est. Demonstratio breviter hæc est: Quodvis sit $q$ et $p$, concipere possum has duas series

$$1 + qx + \frac{q(q-1)}{1.2} x^2 + \cdots \text{ in infinitum}$$

et

$$1 + px + \frac{p(p-1)}{1.2} x^2 + \cdots \text{ in infinitum;}$$

et si has series ita concipio, de complemento nimirum nulla quæstio fieri potest, utrasque enim series concipere possum extensas in infinitum, ut exempli gratia

$$a + \frac{a}{x} + \frac{a}{x^2} + \cdots$$

Itaque si duæ series altera per alteram multiplicantur, nempe singuli termini per singulos in infinitum, certum est seriem secundum ipsius $x$ potestates progredientem fieri, quarum exponentes a o incipientes semper unitate crescent in infinitum. Si ternos primos terminos exsequaris, evidenter fiat

$$(1+qx+\cdots)(1+px+\cdots)=1+(p+q)x+\frac{(p+q)(p+q-1)}{1.2}x^2+\cdots$$

et si ulterius calculum evolveris, eadem regula coëfficientium erit. Nunc quidem hic recte potest applicari, Carissime Pater, demonstratio a te data, quia iam regula manifesta est iam iamque apparet fore, ut eadem regula semper valeat. Demonstras itaque regulam, si vera est de coëfficiente $n^{\text{to}}$, veram esse de $n+1^{\text{to}}$, et quidem pulcherrima ingeniosissimaque forma atque aperto simplicique modo.

Ergo iam certum verumque est

$$\left[1+qx+\frac{q(q-1)}{1.2}x^2+\cdots\right]\left[1+px+\frac{p(p-1)}{1.2}x^2+\cdots\right]$$
$$=1+(p+q)x+\frac{(p+q)(p+q-1)}{1.2}x^2+\cdots$$

esse, si utraque series in infinitum excurrit. Ponatur nunc $p$ prius $=q$, deinde ordine $=2q$, $=3q$, ..., $=mq$ (ubi $m$ integer positivus est, nam nequaquam est negativus, quemadmodum tu, Carissime Pater, festinans scripsisti); tunc erit

$$\left(1+qx+\frac{q(q-1)}{1.2}x^2+\cdots\right)^m=1+mqx+\frac{mq(mq-1)}{1.2}x^2+\cdots$$

Sed quia propositum est ipsum $q$ cuiusvis valoris esse posse, sit $q=\frac{n}{m}$ ubi et $n$ integer positivus erit, ut $m$ erat; erit

$$\left(1+\frac{n}{m}x+\frac{\frac{n}{m}\left(\frac{n}{m}-1\right)}{1.2}x^2+\cdots\right)^m=1+\frac{m.n}{m}x+\frac{\frac{m.n}{m}\left(\frac{m.n}{m}-1\right)}{1.2}x^2+\cdots,$$

$$=1+nx+\frac{n(n-1)}{1.2}x^2+\cdots,$$

et quia $n$ integer positivus est, porro $=(1+x)^n$, itaque

$$(1+x)^{\frac{n}{m}}=1+\frac{n}{m}x+\frac{\frac{n}{m}\left(\frac{n}{m}-1\right)}{1.2}x^2+\cdots,$$

quod erat demonstrandum.

Notandum est potestatem $m$-tam seriei

$$1+\frac{n}{m}x+\cdots$$

seriem finitam esse, quia

$$1+nx+\cdots$$

interrumpitur; coëfficientes terminorum subsequentium omnes $=0$ sunt. Miror tamen, quod procedente demonstratione (quæ perfectissime fluit) cogitare potes quasi $(1+x)^{\frac{n}{m}}$ ipsum absolute $=$ esset seriei decrescenti prius descriptæ. Sed de hac re alias; experiemur quoad exponentes etiam negativas. Nunc de aliis, quantum spatii mihi in charta datur.

Statutum ac deliberatum habeo de parallelis, simulac, quæ inveni, in ordinem digesserim, perfecerim atque ut primum potuerim, opusculum me editurum esse. Hoc ipso momento temporis res nondum excogitata est, sed via, quam ingressus sum, propositum mihi finem, si finis ille alioquin attingi potest, pro certo fere promisit. Elaboratum quidem nondum est, sed tam mira deduxi, ut ipse etiam admiratione stupeam, irreparabileque damnum esset, si ignota manerent. Si legeris, Carissime Pater, probata tibi erunt. Nunc amplius nihil, nisi me ex nihilo novum et alium mundum creavisse, omniaque, quæ

adhuc miseram, casam esse pro turri. Persuasum mihi habeo hoc non minori laudi mihi fore, quam si iam perfecerim. Responsum tuum æterna erga te pietatis pleno animo exspectabit filius tuus

BOLYAI m. p.

P. S. Ponderosas litteras scribebam, sed haud procul absumus, ita taxa nimis magna non est. Fac ut solvendum mihi sit semper pro ponderosissimis tuis litteris, quæ sint vel ponderosissimæ, maximo gaudio solvam eas.

P. S. Ingenii mei nata, Carissime Pater, coram te ita sum ausus diiudicare, uti mihi de iis persuasum habeam; nullam enim interpretationem perperam factam timeo, uti immeritam; fiducia hæc nihil aliud est, nisi ut patrem meum certis in rebus tamquam aliquod exemplar mei intuear.

# DE NONNULLIS ABSOLUTÆ GEOMETRIÆ AD THEORIAM COMPLEXÆ VARIABILIS FUNCTIONUM APPLICATIONIBUS.

AUCTORE

LUDOVICO SCHLESINGER

PHILOSOPHIÆ DOCTORE, MATHESIS SUBLIMIORIS IN UNIVERSITATE FRANCISCO-IOSEPHINA CLAUDIOPOLITANA PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SOCIO EPISTOLARI.

# INTRODUCTIO.

Si independens variabilis

$$\eta = p + q\sqrt{-1}$$

uniformis functionis periodicæ $x = f(\eta)$ plani Euclidei $\Sigma$ punctis, ut usus repræsentatur, variabili $\eta$ periodo $\omega$ aucto plani translatio parallela in se ipsum respondet. Functionis $f(\eta)$ periodicitas igitur geometrice ita describi potest, ut hanc functionem in translationibus quibusdam parallelis plani Euclidei non mutari dicamus.

Constat generalissimam plani Euclidei translationem formula

$$\zeta = e^{\vartheta\sqrt{-1}}(\eta + \omega)$$

exprimi, in qua æquatione $\vartheta$ angulum realem, $\omega$ autem quantitatem quamlibet designat, quæ ex translatione parallela $\eta + \omega$ et ex rotatione, quæ fit donec angulus $\vartheta$ formetur, componi potest. Quo facto uniformes functiones, quæ in plani $\Sigma$ translationibus quibusdam ex translationibus parallelis et rotationibus compositis non mutentur, efficere minime difficile erit. Quæ functiones non solum functionibus biperiodicis adhibitis exstruuntur, sed etiam dici potest, uniformium complexæ variabilis functionum, quæ tales sunt, ut in plani Euclidei translationibus quibusdam non mutentur, classem biperiodicarum functionum classe in summa exhauriri.

In uniformibus complexæ variabilis eis functionibus quærendis, quæ antieuclidei plani translationibus eiusdem momenti atque

biperiodicæ plani EUCLIDEI translationibus sunt, ad functionum classem deducimur, quæ, quatenus unius variabilis functiones extenduntur, naturalis biperiodicarum functionum classis generalisatio consideranda est.

Complexarum quantitatum analysim et geometriam absolutam, præcipue geometriam plani absoluti, hypersphærarum, sphærarum, parasphærarum inter se cohærentes esse,

IOANNES BOLYAI

vir illustrissimus, qui geometriæ absolutæ autor est, iam perspexit,* cuius geometræ memoriam hoc libello celebraturi sumus. Eæ relationes autem, quæ sunt inter complexas quantitates et geometriam absolutam, quæque ad theoriam functionum classis, quam supra commemoravimus, spectant, exploratorum fructibus, in quorum numero præcipue BELTRAMI et POINCARÉ, viri illustrissimi, putandi sunt, continentur. De quorum enim virorum sententia BOLYAIani plani puncta uniformiter complexorum valorum universitati assignari possunt eorum, ad quos

$$1+c(p^2+q^2)\geqq 0$$

est, ubi $c$ cum positiva quantitate a BOLYAI in »Appendice« $i$ designata, quæ quantitas illius plani BOLYAIani vim definit, æquatione $ci^2=-1$ coniungitur. Qua re complexi valores

$$\eta=p+q\sqrt{-1},$$

ad quos

$$1+c(p^2+q^2)=0$$

est, plani BOLYAIani punctis in infinitum remotis respondebunt, cuius

* Ad hæc conferas §§. 9—11. Responsionis, quam STÆCKEL, vir clarissimus, ex iis, quæ I. BOLYAI reliquit, edidit (Mathematische und Naturwissenschaftliche Berichte aus Ungarn, t. XVI, pag. 288. squ.) et eas notas, quas idem STÆCKEL edidit (eodem loco t. XVIII, pag. 256. squ.).

plani translationes in se ipsum proiectivis substitutionibus

$$\zeta = \frac{\alpha\eta + \beta}{\gamma\eta + \delta} \tag{1}$$

unitatis determinantem habentibus exprimuntur, quæ expressionem

$$1 + c(p^2 + q^2)$$

positivo factore excepto in se ipsam transformant.

Uniformes functiones ipsius $\eta$, quæ in plani BOLYAIani translationibus quibusdam non mutantur, tum variabilis $\eta$ eis valoribus solis, qui inæquationi

$$1 + c(p^2 + q^2) > 0$$

satisfaciunt, definitæ eosdem valores assumunt substitutionibus quibusdam, quæ formam (1) habent, ad $\eta$ applicatis.

Harum functionum casum specialem (quæ dicitur functio modularis) functionum biperiodicarum theoria ipsa offert; generalis theoriæ auctor est ill. POINCARÉ, qui has functiones FUCHSianas appellavit, quæ theoria ab eo ceterisque æqualibus mathematicis magis elaborata est. Cur functiones FUCHSianæ adeo insignes factæ sint, causa est eius rei, quod cum analyticarum proprietatum copia iucundæ sunt, tum quod ad multiformes relationes quasdam inter duas complexas variabiles uniformandas applicari possunt. Quo modo enim uniformes loci functiones in superficie RIEMANNiana, si simpliciter connexa est, rationales, si tripliciter connexa, uniformes et biperiodicæ variabilis auxiliariæ functiones repræsentantur, eodem modo si superficies RIEMANNiana $2p+1$-pliciter connexa est, ubi $p > 1$ est, loci functiones in hac superficie uniformes FUCHSianæ variabilis auxiliariæ functiones repræsentari possunt.

Eadem repræsentatione efficitur, ut in geometricam talium $2p+1$-

pliciter connexarum superficierum constitutionem inspicere possimus, præcipue autem, quam sint invariantes et in deformatione continua et in repræsentatione conformi proprietates, magnopere patet.

Quantopere valores omnes, quos independens functionis FUCHSianæ variabilis assumat, plani BOLYAIani punctis repræsentari referat ad theoriam harum functionum inde cognoscitur, quod ea re non solum analogias functionum, quæ in plani EUCLIDEI translationibus non mutantur, persequi possumus, sed etiam eæ notiones ipsæ, quæ functionibus FUCHSianis solis propriæ sunt, producuntur. Aitque ill. POINCARÉ* «Cette terminologie (sc. l. absolutæ geometriæ) m'a rendu de grands services dans mes recherches».

Functiones FUCHSianæ cuiusmodi hoc loco commemoratæ sunt, (ex illius POINCARÉ designatione: primæ, secundæ, sextæ familiæ) in duas partes generalisari possunt. Primo ea condicio, qua functiones non sunt, nisi variabilis eos valores assumat, qui realibus plani BOLYAIani punctis repræsentantur, negligi, deinde determinatio, qua substitutionibus proiectivis plani BOLYAIani translationes in se ipsum repræsententur, tolli potest.

Etiam theoriæ earum functionum, quæ determinatione sublata exsistunt, quasque ill. POINCARÉ KLEINianas designavit, absoluta geometria utilis fieri potest, cum** proiectivæ variabilis complexæ substitutiones quævis translationum loco spatii BOLYAIani, cui tres dimensiones sunt, haberi possint.

Conabimur in sequentibus absolutæ geometriæ ad functionum theoriam applicationes, quas hoc loco paucis indicavimus, adumbrare, ut a problematibus geometricis profecti magis syntheticam constructio-

* Acta Mathematica, t. I. pag. 8.

** Confer e. g. POINCARÉ, Acta Mathematica, t. III.

nem theoriæ functionum FUCHSianarum (primæ, secundæ, sextæ familiæ) et cognatarum functionum quarundam paucis delineemus. Commemoratarum generalium functionum, quæ substitutiones proiectivas patiuntur, theoria velim plane neglegatur, quoniam hoc opus eo consilio, quod persequatur, limitatum est.

## I.

### DE ANALYSIS SITUS CONSIDERATIONIBUS.

RIEMANN, viro illustrissimo, debetur, quod perspeximus in analyticis relationibus quibusdam geometrice illustrandis non solum qualitates geometricarum figurarum metricas magni momenti esse, sed etiam eas, in quibus de portionibus et regionibus solum agitur* ut non ad quantitatem atque ad extensionis mensuram, sed ad ordines et situs modum, ut ill. LISTING** dicit, pertineant. Harum qualitatum doctrina, quæ sunt geometricis figuris, termino, cuius autor LEIBNITZ***, vir illustrissimus, est, Analysis Situs nominatur. Superficierum qualitatibus autem, quæ analysis situs sunt, idem Ioannes BOLYAI operam dedit. In amplo manuscripto, quod extremis ætatis annis confecit, quodque Raumlehre inscribitur, nonnullæ notationes inveniuntur, quas STÆCKEL, vir clarissimus, qui hoc manuscriptum inter relicta manuscripta invenit, mecum benigne communicavit.

«Simplex linea est cursus puncti, quod locum relictum non iam

* RIEMANN, Opera Mathematica (Lipsiæ, 1890) pag. 91.

** Census räumlicher Complexe (Gottingæ, 1862) pag. 13.

*** LISTING in numero secundo Præstudiorum Topologiæ (Göttinger Studien, 1847, I. pars) sic citat: «je croy, qu'il nous faut encor une autre analyse proprement géometrique . . . qui nous exprime directement situm, comme l'Algèbre exprime magnitudinem.»

intrat, sed ad id punctum, unde egressum est, redit.» Similiter simplicem superficiem definienti difficultates offeruntur. «Ex superficie qualibet focorum numerus quivis pungi potest, ibique adactæ canales binæ congeri possunt. Talis est generalissime simplex superficies.» Ad hæc in margine nota adiecta est: «Argumentum perquiratur», cum alia notatio præscribat: «Diversa simplicium superficierum genera enumerentur». Distinctio inter diversa simplicium superficierum genera a BOLYAI indicata varietatum duarum dimensionum ex analysi situs distributionis naturam re vera attingit.

Si enim ponimus, superficiei partem quandam $F_r$ planam, quæ $r$ lineis continuis finita sit, $2p$ focis affectum esse, qui bini canalibus sine nexu coniuncti sint, item superficiem $r$ lineis finitam $F_{r,p}$ obtinemus, cui cohærentiam $2p+r$ esse RIEMANN* sensit. Si non a superficiei parte $F_r$ $r$ lineis finita, sed a superficie in se ipsam redeunte e. g. a sphæra proficiscimur, fieri non potest, quin hanc, ut RIEMANN et LISTING, viri illustrissimi, puncto sublato in superficiem una linea finitam esse mutatam cogitemus, ut igitur pro superficie in se ipsam redeunte $F_0$ numquam superficies $F_1$ una linea finita non statuenda sit. Hæc superficies, quæ ex altera in se ipsam redeunte, $2p$ focis punctis, qui bini canalibus coniuncti sunt, provenit, nihil abhorret ab ea superficie, qua F. KLEIN, vir clarissimus,** superficie normali generis $p$ primus usus est. Generaliter superficiem $F_{r,p}$ superficiem normalem BOLYAIanam $r$ lineis finitam et $2p+r$-pliciter connexam designemus. Atque BOLYAI dicit (vide supra): «Hanc normalem superficiem generalissime simplicem esse», id quod sic intelligendum est.

Sit $M_2$ generaliter duarum dimensionum varietas, quæ cum in

* Opera Mathematica, pag. 92 squ.

** Ueber Riemann's Theorie der algebraischen Functionen und ihrer Integrale (Lipsiæ, 1882) pag. 26; cf. CLIFFORD, Proceedings Societatis Mathem. Londin. t. VIII (1877).

spatio EUCLIDEO dimensionum numerum quemvis habente contineatur, his æquationibus

$$(1) \qquad x_k = \Theta_k(u, v) \qquad (k=1, 2, \ldots, n)$$

exprimi potest, ubi $\Theta_k$ sunt analyticæ duarum realium variabilium $u, v$ functiones et $x_1, \ldots, x_n$ sunt illius EUCLIDEI spatii eæ coordinatæ, quibus elementi linearis $ds$ quadratum hac forma

$$dx_1^2 + dx_2^2 + \cdots + dx_n^2$$

exprimitur. Tum varietatis $M_2$ elementi linearis quadratum forma definita positiva

$$(2) \qquad Edu^2 + 2Fdudv + Gdv^2$$

differentialium $du$, $dv$ datur.

Ad plane definiendam varietatem $M_2$, præter æquationes (1) inæquationibus quibusdam ut opus sit fieri potest. Insuper ut breviter loquamur, semper supponimus, varietatem perquirendam esse bilateralem, ut ill. POINCARÉ * sensit.

Si autem nobis sunt duæ secundæ dimensionis varietates eæ, quarum omnia puncta, alia ad alia, ad se ita referantur, ut singulis curvis alterius singulæ alterius correspondeant, utque curvæ correspondentes pariter et continuæ et finitæ et infinitæ sint, varietatem utramque homœomorpham esse sicut ill. POINCARÉ ** dicimus. Homœomorphæ varietates ex analysi situs æquivalentes considerari possunt.

Ex theoremate, cuius autor JORDAN, vir clarissimus, est,*** necessaria et sufficiens condicio, qua duæ varietates $M$, $M'$ homœomorphæ sint, posita est in ea re,

* Analysis Situs, Journal de l'Ecole Polytechnique, series II, fasc. I, 1895. pag. 27.

** l. c. pag. 9.

*** Journal de Mathématiques (Liouville), ser. II. tom. XI, cf. DYCK, Mathem. Annal. t. XXXII. pag. 485, POINCARÉ, l. c. pag. 70.

1. quod linearum finientium numerus idem est, quodque curvæ finientes, aliæ aliis e continuitatis lege correspondeant;

2. quod eis eadem cohærentia est.

Quo fit, ut omnis bilateralis $m$-pliciter connexa varietas $r$ lineas finientes habens, superficiei $F_{r,\frac{m-r}{2}}$ Bolyaianæ normali (differentia $m-r$ est semper par numerus) homœomorpha est, ita, ut igitur superficies normalis Bolyaiana varietatis generalissimæ $m$-pliciter connexæ $r$ lineas finientes habentis repræsentatrix ex analysi situs re vera considerari possit. Cum supponatur $M_2$ in $n$ dimensionali spatio Euclideo situm esse, $M_2$ continua intra hoc spatium Euclideum deformatione ad superficiem Bolyaianam normalem, quæ in eodem spatio cogitanda est, transferri posse dicere licet. Quas res iam considerabimus, earum initium capimus a superficie normali $F_{r,p}$, cuius $r$ lineas finientes per $a_1, \ldots, a_r$, canales autem per $R_1, \ldots, R_p$ designemus. Lineam finientem $a_r$ fingimus esse punctum delatum (trema), ut, si $r=1$ est, superficies in se ipsam rediens proveniat.

Quæ superficies normalis hoc sectionum systemate in simpliciter connexam secetur:

Primo sectiones $C_k, D_k (k=1, 2, \ldots, p)$ a puncto $a_r$ proficiscentes ponimus, ita ut $C_k$ canalem $R_k$ in longitudinem rescindat, cum $D_k$ nullo puncto, quod a puncto $a_r$ differt, $C_k$ tacto, circum $R_k$ circumferatur; deinde singula linearum finientium $a_1, \ldots, a_{r-1}$ puncta sectionibus $l_1, \ldots, l_{r-1}$ cum $a_r$ coniungimus. Sectiones universas fingimus positas esse iuxta lineas continuas, quæ inter se non secent, quæque tales sint, ut in earum punctis extremis solum directiones discontinue mutentur. Ordine bene dilecto sectiones positæ superficiem $F_{r,p}$ in simpliciter connexam superficiem $\overline{F}_{r,p}$ mutant, cuius linea finiens ex utraque ripa sectionum universarum

$$C_k,\ D_k \qquad (k=1, 2, \ldots, p),$$
$$l_\lambda \qquad (\lambda=1, 2, \ldots, r-1)$$

constat. Si lineam ita percurrimus, ut superficies $\overline{F}_{r,p}$ a dextra manu maneat, ripa ipsius $l_\lambda$ prima tacta negativa ($l_\lambda^-$), altera positiva ($l_\lambda^+$) velim nominetur. Quomodo sectionum $C_k$, $D_k$ ripæ designentur, quemque ordinem assumant, ita velim determinetur, ut sectionum ripæ in percurrenda linea finiente superficiei $\overline{F}_{r,p}$ in positivam directionem (id est ita, ut superficies a sinistra maneat) hac serie servata

$$l_{r-1}^-,\ l_{r-1}^+,\ \ldots,\ l_1^-,\ l_1^+,\ C_1^+,\ D_1^+,\ C_1^-,\ D_1^-,\ \ldots,\ C_p^+,\ D_p^+,\ C_p^-,\ D_p^-$$

traiciantur.*

Quo facto simpliciter connexam sive planæ, sive curvæ varietatis partem, in qua sit polygonum $\Phi_{r,p}$ simpliciter connexum $4p+2(r-1)$ latera habens, fingimus. Hæc latera, quamvis continua, tamen lineæ quælibet sint. Ea puncta, ubi duæ excipientes lineæ collidunt, polygoni angulos efficiunt. Ab angulo quovis incipientes positiva directione servata ipsius $\Phi_{r,p}$ limitationem percurrimus et latera ex ordine designamus sic:

$$s_{r-1}^-,\ s_{r-1}^+,\ \ldots,\ s_1^-,\ s_1^+,\ \gamma_1^+,\ \delta_1^+,\ \gamma_1^-,\ \delta_1^-,\ \ldots,\ \gamma_p^+,\ \delta_p^+,\ \gamma_p^-,\ \delta_p.$$

Quibus lateribus continuas singulas simpliciter connexæ superficiei $\overline{F}_{r,p}$ limitationis partes ita assignamus, ut sectionis $l_\lambda$ ripæ $l_\lambda^-$, $l_\lambda^+$ lateribus $s_\lambda^-$, $s_\lambda^+$, sectionis $C_k$ ripæ $C_k^+$, $C_k^-$ lateribus $\gamma_k^+$, $\gamma_k^-$, sectionis $D_k$ ripæ $D_k^+$, $D_k^-$ lateribus $\delta_k^+$, $\delta_k^-$ respondeant. Qua ex re sequitur, ut superficies $\overline{F}_{r,p}$ polygono $\Phi_{r,p}$ homœomorpha sit. Duo polygoni $\Phi_{r,p}$ latera esse coniugata, si unius eiusdemque sectionis ipsius $F_{r,p}$ ripæ utrique, polygoni angulorum autem systemate cyclum fieri, si ipsius

* Cf. KLEIN, Mathematische Annalen, tom. XXI. pag. 183. squ.

$F_{r,p}$ puncto uni eidemque respondent, ut POINCARÉ*, dicemus, ut omnis angulus $\lambda_i$, ubi coniugata latera $s_i^-$, $s_i^+$ collidunt $(i=1, 2, \ldots, r-1)$, per se ipsum cyclum efficiat, cum ceteri anguli, qui omnes ipsius $F_{r,p}$ puncto $a_r$ respondent, coniuncti cyclum efficiant. Hos angulos per

$$\lambda_r^{(i)} \qquad (i=1, 2, \ldots, 4p+(r-1))$$

designamus, atque ita, ut ipsius $s_1^-$ punctum extremum, quod a $\lambda_1$ differt, $\lambda_r^{(1)}$ nominetur, ceteraque $\lambda_r^{(i)}$ ordine, qui crescentibus numeris $i$ constitutus est, polygoni limitationem in negativam directionem percurrendo, succedant. Ad ipsius $\Phi_{r,p}$ angulos ita componendos, ut cycli efficiantur, regula ab illo. POINCARÉ data** valet, quæ a relatione inter polygonum $\Phi_{r,p}$ et superficiem $F_{r,p}$ non dependet. Ab angulo quolibet directione positiva servata latus attiguum, deinde coniugatum, tum punctum extremum sequens, tum latus attiguum, tum coniugatum, tum punctum extremum sequens percurrimus neque desinimus dum ad angulum, a quo egressi sumus revertimus, quocum anguli, quos eo modo transgressi sumus, cyclum una efficiunt.

Qua ratione usi cuivis varietati $M_2$ $2p+r$-pliciter connexæ, $r$ lineis finientibus limitatæ polygonum, cuius vis $\Phi_{r,p}$ est, assignare possumus, quod polygonum ei varietati, quæ sectionibus aptatis in simpliciter connexam mutata est, homœomorphum est et ad $M_2$ e situs analysi determinandum plane sufficit.

E contrario in simpliciter connexa varietatis cuiuslibet parte, polygonum, cuius vis sit $\Phi_{r,p}$, datum sit. Hoc polygonum $\Phi_{r,p}$ primo deformationi continuæ subicimus (intra id spatium EUCLIDEUM in quo polygonum continetur), qua deformatione duo eius latera coniugata in congruentes (id est, qui spatii EUCLIDEI translatione ad se trans-

squ.

ica, tom. I, pag. 20, 21.

ferri possunt) lineæ arcus mutantur. Ita polygonum nascitur, quod $\Phi'_{r,p}$ nominemus. Deinde iterum ita deformari fingimus, ut nunc congruentia bina latera infinite alia aliis appropinquent, quam varietatem $\Phi''_{r,p}$ apellamus. Denique lateribus coniugatis binis conglutinatis ad eam varietatem $\Phi'''_{r,p}$ pervenimus, quæ, cum in locis $\alpha_i$ punctis extremis $\lambda_i$ respondentibus et in loco $\alpha_r$, qui ex coniunctis angulis $\lambda_r^{(i)}$ provenit, tremata ostendat, $2p+r$-pliciter connexa, $r$ punctis finientibus limitata varietas est. Puncta $\alpha_1, \ldots, \alpha_r$ quæ sunt in extrema superficiei, in lineas quasvis finientes amplificatas esse cogitare possumus, qua re superficies normalis BOLYAIana ipsa prodit, quæ $2p+r-1$ sectionibus in simpliciter connexam varietatem consecari potest. Quæ polygono $\Phi_{r,p}$, a quo egressi sumus, homœomorpha est.

Hinc sequitur, ut omne polygonum, cuius vis est $\Phi_{r,p}$, varietatem $2p+r$-pliciter connexam $r$ lineis finientibus limitatam e situs analysi definiat.

Polygonum $\Phi_{r,p}$ præterea varie transformari potest. Polygono e. g. lineis quibuslibet, quæ ex polygono non exeunt neque se, neque aliæ alias secant, quæque ab anguli puncto proficiscentes ad ceteros angulos ducunt, in $4p+2r-5$ particulas triangulares diviso particularum a duobus polygoni lateribus limitatarum aliqua, sive $\tau$, exsoluta expleri potest homœomorpha, quæ polygono accomodanda est iuxta id latus, quod polygoni laterum, quæ ad $\tau$ limitandum pertinent, alicui coniugatum est. Qui modus procedendi, quotiens velis, repeti potest. Polygonum $\overline{\Phi}_{r,p}$, quod eo modo natum est, idem homœomorphum est ei varietati simpliciter connexæ, in quam $2p+r$-pliciter connexa varietas $r$ lineis finientibus limitata sectionum apte dilectarum systemate dividi potest. Polygoni $\overline{\Phi}_{r,p}$, cuius latera bina quoque congruentia sunt, quomodo anguli componendi sint,

ut cycli efficiantur, sequitur ex illi. POINCARÉ regula quam supra commemoravimus. $\overline{\Phi}_{r,p}$ ex $\Phi_{r,p}$ mutationibus e situs analysi concessis provenisse dicimus.

Nunc omnes cursus, in se ipsos redeuntes universos, quos punctum $P_0$ coordinatas $(u_0, v_0)$ habentes in hac superficie $F_{r,p}$ percurrere potest, contemplabimur. Cursus in se rediens, quem punctum $P_0$ in superficie percurrit, pro operatione ad hoc punctum adhibita concipi potest,* constituendo, duo cursus, qui continua inter $F_{r,p}$ deformatione ad se transferri possunt, æquivalentes eadem ergo operatione habeantur. Cursibus qui in unum intra $F_{r,p}$ punctum contrahi possunt, aut qu. i. e. qui per se totam bisdimensionalis ipsius $F_{r,p}$ partis finem constituunt, operatio identica assignetur.

Sit porro $P_1$ superficiei punctum, quod a $P_0$ differat, atque si eos tres cursus

$$P_0AP_1,\quad P_0BP_1,\quad P_0CP_1,$$

qui a $P_0$ ad $P_1$ ducunt, conspicimus, $P_0AP_1CP_0$ cursum ex $P_0AP_1BP_0$ et $P_0BP_1CP_0$ compositum esse dicemus, in qua re componentium ordo non exigui momenti est.**

Si cursus $P_0AP_1CP_0$ in unum punctum contrahi potest, $P_0AP_1BP_0$ et $P_0BP_1CP_0$ cursus contrarios esse dicimus, quod si ita est, cursus $P_0AP_1BP_0$ cursui $P_0BP_1CP_0$, qui e contrario percurritur, æquivalens est.

Si cursui in se redeunti $W$ operatio $S$, alteri cursui in se redeunti $W'$ operatio $S'$ respondet, cursui ex $W$ et $W'$ composito operatio ex $S$ et $S'$ composita, cursui $W$ contrario operatio $S$ inversa respondet, qua re patet universitate omnium operationum $S$, quæ omnibus in se redeuntibus cursibus, quos punctum $P_0$ in superficie $F_{r,p}$ per-

* Cf. Journal für Mathematik (Crelle), tom. 105, pag. 203, POINCARÉ, l. c. pag. 61 squ.
** Cf. POINCARÉ l. c. pag. 62.

currere potest, numerabilem coniunctionem* $G$, in qua binæ operationes inversæ sunt, effici.

Quæ coniunctio $G$ ex $2p+r-1$ operationibus fundamentalibus hunc in modum componi potest: Ponimus polygonum $\Phi_{r,p}$ simpliciter connexæ superficiei homœomorphum delineatum esse et punctum $\Pi_0$, quod in polygono ipso est, quodque ipsius $F_{r,p}$ puncto $F_0$ respondet, conspicimus. Si $A$ polygoni $\Phi_{r,p}$ lateris supra $+$ signo affecti punctum, $A'$ autem coniugati lateris punctum est, quod in deformationis ipsius $\Phi_{r,p}$ in superficie stadio supra $\Phi''_{r,p}$ designato puncto $A$ infinite vicinum est, cursui $AP_0A'$, si in polygono ipso percurritur, cursus in superficie in se rediens respondet, qui sectionem, cuius ripæ lateribus linea $AP_0A'$ coniunctis respondent, semel transgreditur atque directionem a ripa negativa ad positivam habet.

Cum $\Phi_{r,p}$ omnino bina $2p+r-1$ coniugata latera contineat, hoc modo $2p+r-1$ cursus in $F_{r,p}$ in se redeuntes adipiscimur, quos tales esse apparet, ut omnes in superficie in se redeuntes cursus ex his $2p+r-1$ cursibus igitur coniunctionis $G$ omnes operationes ex his operationibus, quæ his cursibus in se redeuntibus respondent, componi possint. Si autem primo eas operationes, quæ cursibus in se redeuntibus, qui $C_k$, $D_k$ sectiones a positiva ad negativam ripam transgrediuntur, respondent, $S_k$, $T_k$, deinde eam operationem, quæ cursui in se redeunti respondet, qui iuxta lineam finientem $a_\nu$ in directionem positivam percurrit, $A_\nu$ nominamus, hæc æquatio prodibit:

$$A_r^{-1} = S_1 T_1 S_1^{-1} T_1^{-1} \dots S_p T_p S_p^{-1} T_p^{-1} A_{r-1} \dots A_1.$$

Coniunctio $G$ magis concrete exprimi potest sic deliberando.

Quod in polygono adhibendo bina quæque latera coniugata duabus

* Coniunctio sc. operationum idem significet, quod Germanice: Gruppe.

lineis in superficie $F_{r,p}$ congruentibus — nempe unius sectionis ripæ utrique — respondent, facile perspicitur, polygonum ab initio ita deligendum esse, ut bina coniugata latera sint lineæ congruentes. Quod ut efficiatur, cum forma et positio non limitentur, polygonum $\Phi_{r,p}$ in Euclideo sive antieuclideo plano delineatum esse ponimus atque ita, ut latera coniugata huius plani translationibus in se ipsum aliud ex alio proveniant. Generalitate non limitata ipsius $\Phi_{r,p}$ latera rectas lineas esse ab initio supponere possumus. Tale polygonum $\Phi_{r,p}$ planum et rectis lineis inclusum velim nominetur polygonum normale.

Quo facto si translationes, quibus bina coniugata huius polygoni normalis latera ad se transferuntur, pro coniunctionis operationibus fundamentalibus habemus, ista coniunctio e plani in se ipsum translationibus composita, coniunctioni $G$ plane æquivalens est.

Coniunctio $G$, quam ad superficiem $F_{r,p}$ e situs analysi describendam sufficere plane manifestum est, nisi plani translationum coniunctio concipitur, formularum ope exprimi non potest: quod ut consequamur, complurium plani doctrinæ notionum mentio fiat necesse est.

## II.

### DE PLANI IN SE IPSUM TRANSLATIONUM THEORIA.

Concipimus per planum duarum dimensionum varietatem, quæ in spatio Euclideo nescio quam dimensionem habente continetur ita, ut eius elementum lineare $ds$ positiva definita differentiali forma

$$ds^2 = Edu^2 + 2Fdudv + Gdv^2$$

, ad quam expressio ex $E$, $F$, $G$ et ex eorum partialibus diffe-
ibus secundum $u$, $v$ formata, qua expressione Gauss, vir sum-

mus, superficiei curvaturæ mensura primus usus est, valorem constantem $c$ habet.

Si in $u$, $v$ eæ expressiones formantur, quæ a deligendis his coordinatis non dependent, qualitates universæ, quæ his expressionibus sunt, disciplinam analyticam constituunt, in cuius formulis quantitas $c$ apparet et quæ plani curvaturæ mensuram $c$ habentis geometria cogitari potest; consentit enim primo, si $c=0$ est, cum geometria plani EUCLIDEI analytica (in quo parallelarum postulatum valet), deinde si $c$ negativum est cum geometria plani analytica, cuius systema est $S$, cui BOLYAI in Appendice operam dedit, et in quo quantitati a BOLYAI $i$ designatæ valor $\sqrt{-\frac{1}{c}}$ est, denique si $c$ positivum est, cum analytica geometria in sphæra, cuius radius $\sqrt{\frac{1}{c}}$ est, spatii EUCLIDEI soliti, ita, ut planum si $c=0$ est, EUCLIDEum, si $c<0$ est, BOLYAIanum si $c>0$ est, RIEMANNianum dicatur.

Planum ita in universum cogitari posse I. BOLYAI ipse haud ignorare, cum ex nonnullis aliis I. BOLYAI notationibus, quas clarissimus STÆCKEL ex relictis manuscriptis edidit, tum ex §. 9. Responsionis,* quam iam in Introductione commemoravi, cognoscitur, ubi enim de superficie undique uniformi disserens hæc dicit: «Quantitatem illam $r$», inquit, «qua latera trianguli rectanguli in superficie quavis undique uniformi existentis dividenda sunt, ut statui possit

$$\cos\frac{c}{r}=\cos\frac{a}{r}\cos\frac{b}{r},$$

e. g. parametrum huius superficiei appellare placeat ...».

Si I. BOLYAI GAUSS, viri summi, opus, quod inscribitur «Disquisitiones generales circa superficies curvas» et quod anno

* Mathematische und Naturw. Berichte aus Ungarn, tom. XVI, pag. 289.

MDCCCXXVIII editum est, cognovisset, intelligere potuit id quod superficiem undique uniformem appellaverat, cuius parameter $r$ est, nihil aliud esse atque superficiem constantem, a GAUSS designatam, curvaturæ mensuram $c = \frac{1}{r^2}$ habentem.

Nunc autem nihil facit, nisi monstrat, in systemate $S$ et plana et planis æquidistantes superficies (hypersphæras) et sphæras (locos punctorum uno puncto æquidistantium) et parasphæras (superficies $F$ Appendicis) categoriæ superficiei undique uniformis esse et dicit: * »parametri superficierum sphæricarum reales, parametri superficierum plano æquidistantium imaginariæ evadunt», cum ** ad parasphæras parameter in infinitum crescat.

Cum vero quidem in nono Responsionis paragrapho *** planius elaborato dicat, superficiem undique uniformem, $F$ neglecto, solum sphæricam, planam aut plano parallelam (sc. æquidistantem) esse, re vera dicit verum, quoniam in systemate $S$, ad quod quantitati a BOLYAI $i$ designatæ nescio qui certus valor est, sphæræ, plana, hypersphæræ superficies constantis curvaturæ mensuræ sunt, inter quas semper tales inveniuntur, quarum curvaturæ mensura cuilibet positivæ aut negativæ quantitati æqualis sit, cum parasphæræ sint superficies, in quibus curvaturæ mensura ubique evanescit, ut in eis plani EUCLIDEI geometria valeat, id quod BOLYAI in Appendice (§. 33.) iam præcipue commemoravit.

In hac paragrapho planum consideramus non certam veluti geometricam figuram quandam, quæ varietatis EUCLIDEæ est, sed modo quatenus elementi linearis expressione datum est. Qua re posita theorema valere constat, planum, ut paulo antea descriptum est,

* l. c. pag. 289.
** l. c. pag. 292.
*** Ibid. tom. XVIII, pag. 286.

curvaturæ mensura indicata plane definitum esse, id est duo plana, quorum curvaturæ mensura eodem valore est, ad se uniformiter ita referri posse, ut correspondentia elementa linearia eadem sint. Hinc imprimis sequitur, ut plani unius eiusdemque partes aliquæ hoc modo referri possint, id quod plani in se ipsum translationem appellamus. Mihi liceat huius theorematis probandi eam rationem indicare, qua simul ad generalissimam plani translationis constitutionem deducamur.

Si in plano $P$ isometricis coordinatis $u$, $v$ institutis elementi linearis expressio hæc est:

$$ds^2 = \lambda(du^2 + dv^2), \tag{1}$$

ex notis formulis sequitur, ut constans curvaturæ mensura $c$ ita exprimatur

$$c = -\frac{1}{2\lambda}\left(\frac{\partial^2 \log\lambda}{\partial u^2} + \frac{\partial^2 \log\lambda}{\partial v^2}\right).$$

Functio semper realis ipsorum $u$, $v$

$$U = \log\lambda \tag{2}$$

ergo partiali æquationi differentiali

$$\Delta U = -2ce^U, \tag{3}$$

quæ dicitur æquatio LIOUVILLEana, satisfacit, ubi ut usus est, statuetur

$$\Delta U = \frac{\partial^2 U}{\partial u^2} + \frac{\partial^2 U}{\partial v^2}.$$

Si $z = u + v\sqrt{-1}$ posito, duæ functiones variabilis complexæ $z$ monogeneæ $\gamma_1$, $\gamma_2$ eliguntur ita, ut sit:

$$\varphi = 2e^{-\frac{U}{2}} = c_1\gamma_1\bar{\gamma}_1 + c_2\gamma_2\bar{\gamma}_2, \tag{4}$$

ubi $c_1$, $c_2$ duos reales constantes denotant, quorum productum

$$c_1 c_2 = c \tag{5}$$

est, ubique $\bar{a}$ complexæ quantitatis $a$ coniugatam designat, resultabit, ut $\mathfrak{y}_1$, $\mathfrak{y}_2$ homogeneæ ac lineari æquationi differentio-differentiali

(6) $$\frac{d^2y}{dz^2} = q(z) \cdot y$$

satisfaciant, ubi

(7) $$q(z) = \frac{1}{\varphi} \cdot \frac{\partial^2 \varphi}{\partial z^2}$$

est et

(8) $$\mathfrak{y}_1 \frac{d\mathfrak{y}_2}{dz} - \mathfrak{y}_2 \frac{d\mathfrak{y}_1}{dz} = 1$$

poni potest.

Elementum lineare exprimitur hunc in modum

(9) $$ds^2 = \frac{4(du^2 + dv^2)}{(c_1 \mathfrak{y}_1 \bar{\mathfrak{y}}_1 + c_2 \mathfrak{y}_2 \bar{\mathfrak{y}}_2)^2}$$

sive autem, integralium ratione

(10) $$\eta = \frac{\mathfrak{y}_2}{\mathfrak{y}_1} = p + q\sqrt{-1}$$

instituta, sic

(11) $$ds^2 = 4\frac{dp^2 + dq^2}{[c_1 + c_2(p^2 + q^2)]^2},$$

quæ forma dicitur elementi linearis plani $P$ canonica forma, item $p$, $q$ appellantur coordinatæ canonicæ.

Ut altera elementi linearis forma canonica ad alteram

$$ds^2 = 4\frac{dp_1^2 + dq_1^2}{[c_1 + c_2(p_1^2 + q_1^2)]^2}$$

transeat, ita efficitur, ut pro systemate fundamentali $\mathfrak{y}_1$, $\mathfrak{y}_2$ æquationis differentio-differentialis (6) alterum $y_1$, $y_2$, ad quod

$$y_1 \frac{dy_2}{dz} - y_2 \frac{dy_1}{dz} = 1,$$

$$c_1 y_1 y_1 + c_2 y_2 \bar{y}_2 = c_1 \mathfrak{y}_1 \bar{\mathfrak{y}}_1 + c_2 \mathfrak{y}_2 \bar{\mathfrak{y}}_2$$

est, et deinde

$$p_1 + q_1 \sqrt{-1} = \eta_1 = \frac{y_2}{y_1}$$

ponendum sit.

Quam cum mutationem, elemento lineari non mutato, generalissimæ plani $P$ in se ipsum translationi correspondere manifestum sit, talis translatio ut unimodulari homogenea lineari substitutione, quæ ad $\mathfrak{y}_1$, $\mathfrak{y}_2$ applicata formam HERMITEanam

$$\varphi = c_1 \mathfrak{y}_1 \bar{\mathfrak{y}}_1 + c_2 \mathfrak{y}_2 \bar{\mathfrak{y}}_2$$

in se ipsam transformat, ita substitutione proiectiva

$$\eta_1 = \frac{\alpha\eta + \beta}{\gamma\eta + \delta}, \qquad (\alpha\delta - \beta\gamma = 1),$$

ad quam

(12) $$c_1 + c_2 \eta\bar{\eta} = (\gamma\eta + \delta)^2 (c_1 + c_2 \eta_1 \bar{\eta}_1)$$

est, exprimitur.

Quas translationes ut planius describamus, eligimus $c_1$ ita, ut $c_1 = 1$ et $c_2$ ita, ut $c_2 = c$ sit et distinguimus, utrum $c > 0$, an $c = 0$, an $c < 0$ sit, id est eos casus, ubi planum RIEMANNianum, EUCLIDEum, BOLYAIanum est.

Rectam lineam intellegimus eam lineam, quæ per duo puncta $(p_1, q_1)$, $(p_2, q_2)$ ducitur et ad quam integrale

(13) $$\int_{(p_1, q_1)}^{(p_2, q_2)} ds = 4 \int_{(p_1, q_1)}^{(p_2, q_2)} \sqrt{\frac{dp^2 + dq^2}{[1 + c(p^2 + q^2)]^2}}$$

minimum fit. Hinc generalis rectæ lineæ æquatio sequitur, quæ hanc formam induit:

(14) $$l[1 - c(p^2 + q^2)] + 2mp + 2nq = 0,$$

ubi $l$, $m$, $n$ arbitrariæ constantes sunt. Integrale (13), iuxta talem rectam lineam electum duorum punctorum $(p_1, q_1)$, $(p_2, q_2)$ distantia velim appelletur.

Ea puncta, quorum distantia a puncto $p = 0$, $q = 0$ infinita magnitudine est, ut ad ea

$$1 + c(p^2 + q^2) = 0 \tag{15}$$

sit, plani elementa in infinitum remota componunt. Hæc, si $c > 0$ est, imaginaria sunt, si $c = 0$ est, unum in infinitum remotum punctum resultat, $p = \infty$, $q = \infty$, sin autem $c < 0$ est, puncta in infinitum remota continuum unius dimensionis reale componunt.

Realia plani $P$ puncta sunt ea, quorum distantia a puncto $p = 0$, $q = 0$ realis est, ita ut, si $c \geqq 0$ est, omnibus valoribus $p$, $q$ realia plani puncta respondeant. Sed, si $c < 0$ est, realia plani puncta offerunt valores reales $p$, $q$ solum ei, ad quos

$$1 + c(p^2 + q^2) \geqq 0 \tag{16}$$

est. Coordinatæ $p$, $q$ sunt tales, ut realibus omnibus binis $p$, $q$ valoribus, qui, si $c < 0$ est, inæquatione (16) limitati sunt, plani punctum, nullo excepto, et vice versa uniformiter respondeat.

Duæ reales rectæ lineæ semper duobus punctis secantur. Si $(p_1, q_1)$, $(p_2, q_2)$ ambo communia duarum rectarum puncta sunt, semper est

$$1 + c(p_1 + q_1\sqrt{-1})(p_2 - q_2\sqrt{-1}) = 0;$$

duo puncta, inter quæ ea relatio est, polos figuræ (15) in infinitum remotæ coniugatos esse dicimus; qua ex re commune duarum rectarum punctum, si $c > 0$, semper utrumque reale est,* sin

* Utroque puncto identificato plani Riemanniani modificatio, quæ a claro. F. Klein primo cognita est, prodit. In hac dissertatione utrumque punctum alterum ab altero differens contemplamur.

$c=0$, alterum semper ad $p=\infty$, $q=\infty$ vergit, ut alterum reale esse necesse sit, si $c<0$ est, aut commune punctum utrumque imaginarium esse (coordinatis eis respondentibus $p$, $q$ ipsis imaginariis factis), aut in punctum in infinitum remotum concidere, aut denique alterum reale, alterum imaginarium esse potest.

Duæ rectæ lineæ, quæ ita se secant, ut angulum nullum efficiant, parallelæ appellantur. In plano RIEMANNiano parallelæ non exsistunt. Si $c \leqq 0$ est, commune duarum parallelarum rectarum punctum utrumque in infinitum semper concidit, atque per punctum quodlibet rectæ lineæ datæ in plano EUCLIDEO una, in plano BOLYAIano duæ parallelæ duci possunt. Duæ BOLYAIani plani rectæ, quarum commune punctum utrumque imaginarium est, nominantur divergentes.

Ad translationes hæc tria theoremata proponi possunt. Primum in plano RIEMANNIANO ($c>0$) omnes translationes substitutionibus ellipticis

$$\frac{S\eta-\lambda}{S\eta-\mu}=e^{\vartheta\sqrt{-1}}\frac{\eta-\lambda}{\eta-\mu}$$

exprimi possunt, ubi fixa puncta $\lambda$, $\mu$ poli figuræ in infinitum remotæ coniugati sunt, $\vartheta$ angulus realis est. Eadem translatio nihil aliud est nisi rotatio, quæ fit donec angulus $\vartheta$ formetur circum puncta fixa $\lambda$, $\mu$. Deinde in plano EUCLIDEO ($c=0$) translationes sunt substitutiones ellipticæ aut parabolicæ hanc formam habentes:

$$S\eta=e^{\vartheta\sqrt{-1}}\eta+\beta,$$

alterum autem punctum fixum semper in infinito situm est. Substitutiones ellipticæ offerunt rotationes, quæ fiunt donec angulus $\vartheta$ formetur, cum parabolicæ ($\vartheta=0$), quæ dicuntur translationes parallelæ producant (cf. Introductionem). Tum in plano BOLYAIano ($c<0$) hoc ita est:

1. Ellipticæ substitutiones

$$\frac{S\eta-\lambda}{S\eta-\mu}=e^{\vartheta\sqrt{-1}}\,\frac{\eta-\lambda}{\eta-\mu},$$

quarum puncta fixa $\lambda$, $\mu$ poli figuræ in infinitum remotæ coniugati sunt, producunt rotationes, quæ fiunt, donec angulus $\vartheta$ formetur circum reale punctum fixum.

2. Substitutiones hyperbolicæ, quarum puncta fixa in infinitum remota sunt, planum iuxta eam rectam transferunt, qua hæc duo puncta fixa coniunguntur, quæ recta, translationis axis nominatur.

3. Substitutiones parabolicæ, quarum unum punctum fixum in infinitum remotum est, plani EUCLIDEI translationibus parallelis correspondent.

In universum translatio quæque rectas in rectas transfert. Ea translatio, quæ rectas lineas se secantes ita in se transformat, ut punctum commune sibi ipsi respondeat, substitutione elliptica, si punctum commune in finito situm est, parabolica autem, si lineæ parallelæ sunt, exprimitur. Translationi, quæ duas rectas divergentes in se transformat, semper respondet substitutio hyperbolica.

Quibus fructibus paucis indicatis ad polygonum normale applicatis, resultat, ut translationes, quibus bina latera coniugata in se transeunt formularum ope proiectivis variabilis complexæ substitutionibus exprimantur, atque ita, ut substitutiones, quæ transitionem a $s_\nu^-$ ad $s_\nu^+$ efficiunt, ellipticas aut parabolicas esse necesse sit. Unde sequitur, ut coniunctio $G$, sicut coniunctio proiectivarum substitutionum, quæ ad variabilem complexam adhibendæ sunt, exprimi possit.

## III.

### DE REPRÆSENTATIONIS CONFORMITATE. DE DUOBUS PROBLEMATIBUS.

Ut ex considerationibus de situatione geometrica, quæ priore paragrapho paucis indicatæ sunt, ad complexæ variabilis functionum theoriæ notiones transire possimus, relatio, quæ est inter superficiem $F_{r,p}$ et polygonum normale $\Phi_{r,p}$, ita modificanda est, ut homœomorphismo inter sectam superficiem $\overline{F}_{r,p}$ et polygonum $\Phi_{r,p}$ generali homœometria sive uniformiter conformis repræsentatio succedat faciamus. Priusquam autem diligentius deliberemus, num ea conformis repræsentatio fieri possit, ex ea re, quam homœometria postulat, polygonum normale $\Phi_{r,p}$ modo quodam planius definire conemur.

Ne nostræ considerationes generalitate careant, in sequenti superficiem $F_{r,p}$ esse Bolyaianam normalem fingere nos supersedere necesse est, sed superficies $F_{r,p}$ $(2p+r)$-pliciter connexa et bisdimensionalis varietas quælibet, $r$ curvis finientibus limitata, quæ in spatio Euclideo dimensionis numerum quemvis habente continetur, cogitetur velim. Cuiusmodi varietas, cum semper superficiei normali Bolyaianæ homœomorpha sit, sectionum systema canonicum, ad superficiem normalem institutum, ad varietatem illam $F_{r,p}$ deferri potest; idemque ad situs analysis omnes ceteras de superficie normali considerationes pertinet.

Primo ad $F_{r,p}$ isometricas coordinatas $u$, $v$ institutas esse fingamus, ut igitur superficiei $F_{r,p}$ elementum lineare $dS$ hac æquatione:

$$dS^2 = \Lambda(du^2 + dv^2)$$

detur. Qua re ex principiis, quæ Gauss, vir summus, de conformis

repræsentationis theoria proposuit, si eædem coordinatæ $u, v$ ad puncta plani $P$, quod polygonum normale $\Phi_{r,p}$ continet, definienda adhibitæ erunt, ipsius $P$ elementum lineare hanc formam:

$$ds^2 = \lambda (du^2 + dv^2)$$

induet, ubi, cum $U = \log \lambda$ partialis æquationis differentio-differentialis Liouvilleanæ (3), Nr. II. solutio sit,

$$\overline{U} = U - \log \Delta$$

solutionem partialis æquationis differentio-differentialis

$$D\overline{U} = -2ce^{\overline{U}} - D \log \Delta \tag{3a}$$

esse necesse sit, si symbolum $DV$ æquatione

$$DV = \frac{1}{\Delta} \Delta V$$

explicatur. Aequatio differentialis (3*a*) æquationi Liouvilleanæ (3) Nr. II. anteferenda est ob eam rem,* quod functio $\overline{U}$ a deligendis coordinatis $u, v$ isometricis ad superficiem institutis non dependet. Functio $\lambda$ nota putanda est.

Si supponimus coordinatas maxime tales esse, ut superficiei $F_{r,p}$ omni puncto, nullo excepto, bini valores certi $u, v$ respondeant, variabilis $z = u + v\sqrt{-1}$ est functio quæ dicitur monogenea uniformis loci in $F_{r,p}$.**

Ut tales coordinatas $u, v$ exsistere probantes in fructibus iam cognitis niti possimus, facere non possumus, quin linearum finientium numerum $r$ esse aut evanescere aut hunc numerum esse quem-

* Poincaré, Journal des Mathematiques (Liouville). ser. V. tom. IV, pag. 155.

** Ut Klein (Riemann's Theorie etc., 1882, pag. 19.) dixit: Complexa loci functio.

libet fingamus, cum linea finiens quævis nihil nisi trema cogitanda sit. Numerum quemlibet esse etiam velim in sequentibus semper supponatur, ita ut ergo $F_{r,p}$ ex $2p+1$-pliciter connexa in se ipsam redeunte varietate $F_p$ ea re prodeat, quod $F_p$ in $r$ punctis $a_1, \ldots, a_r$ trematibus afficitur. In varietate $F_p$ in se ipsam redeunte semper monogeneas uniformes loci functiones exsistere notum est, quæ varietatis $F_p$ nulli puncto indeterminatæ* fiunt, quæque earum duabus $z$, $t$ rationali modo exprimi possunt, cum inter $z$, $t$ ipsas algebraica æquatio $F(z, t) = 0$ genere $p$ sit. Relatio, quæ inter complexos binos valores $(z, t)$ æquatione $F(z, t) = 0$ coniunctos et varietatis $F_p$ puncta est, nulla exceptione mutua ratione uniformis est, ut igitur varietatis $F_p$ puncta, binis complexis $(z, t)$ valoribus eis respondentibus describi possint. Si $z = u + v\sqrt{-1}$ ponimus, $u$, $v$ sunt ut in $F_p$, ita in $F_{r,p}$ coordinatæ quæsiti generis.

Quo facto si plani $P$ elementum lineare $ds$ in formam canonicam (11), Nr. II. versum esse fingimus, erit $\eta = p + q\sqrt{-1}$ monogenea ipsius $z = u + v\sqrt{-1}$ functio, quæ linearis differentio-differentialis (6), Nr. II. æquationis integralium ratio definita est, cui his qualitatibus gaudere opus est:

Cum sectæ varietatis $\overline{F}_{r,p}$ repræsentatio in polygonum $\Phi_{r,p}$ mutua et ita uniformis, ut nulla exceptio fiat, esse debeat, $\eta$ in superficie $F_{r,p}$ functio ipsorum $(z, t)$ undique uniformis et vice versa $z$ et $t$ intra polygonum $\Phi_{r,p}$ uniformes functiones ipsius $\eta$ sunt. Si superficiei $F_{r,p}$ punctum, binis valoribus $(z, t)$ definitum, sectionem $l_\nu$ aliquam positiva directione servata transgreditur, $\eta$ subit ellipticam aut parabolicam substitutionem $A_\nu \eta$, quæ translationi lateris $s_\nu^-$ in $s_\nu^+$ respondet, cum $\eta$, puncto $(z, t)$ sectionum $C_k$, $D_k$ aliquam transgresso, substi-

* Ut sensit Fuchs (Sitzungsberichte Academiæ Berolinensis, 1885, pag. 281.)

tutionem $S_k\eta$, $T_k\eta$ subeat, qua $\gamma_k^-$ in $\gamma_k^+$ sive $\delta_k^-$ in $\delta_k^+$ vertitur. Quo fit, ut $\eta$ in varietate $F_{r,p}$ non secta variabilium $(z, t)$ æquatione $F(z, t) = 0$ coniunctorum functio multiformis sit, et cuncti huius functionis rami ex eo, cuius valorum copia polygoni normalis $\Phi_{r,p}$ punctis exprimitur, eius coniunctionis $G$, quæ ex translationibus

$$A_1, \ldots, A_{r-1},\ S_1, \ldots, S_p,\ T_1, \ldots,\ T_p$$

eisque inversis composita est, proiectivis substitutionibus applicatis resultent. Cum universæ ipsius $G$ substitutiones plani $P$ translationes sint, forma HERMITEana $\varphi$ his substitutionibus in se ipsam transformatur, est igitur uniformis loci functio in $F_{r,p}$, unde sequitur ut variabilis $z$ monogenea functio $\varphi(z)$, æquatione (7), Nr. II. definita, sit monogenea et uniformis loci functio in varietate $F_p$, ergo uniformis ipsorum $(z, t)$ functio.

$F_{r,p}$ ipsius repræsentationem in $\Phi_{r,p}$ undique conformem esse putaveris, id quod re vera ita est, cum exceptiones solum in locis $a_1, \ldots, a_r$ trematibus exclusis fieri possint. Binis enim valoribus $(z, t)$, qui varietatis $F_p$ punctis $a_k$ respondent, $z = a_k$, $t = b_k$ nominatis,

$$a_k,\ b_k \qquad (k=1, 2, \ldots, r)$$

functionis $\eta$ ramificationis puncta esse possunt. Quomodo $\eta$ in his locis se habeat, ellipticis aut parabolicis substitutionibus $A_k$ $(k = 1, 2, \ldots, r-1)$ et

$$A_r = A_1^{-1} \ldots A_{r-1}^{-1}\, T_p S_p T_p^{-1} S_p^{-1} \ldots T_1 S_1 T_1^{-1} S_1^{-1}$$

describitur. Quæ substitutiones quales sint, sequitur rursus ex angulis, qui in singulis polygoni $\Phi_{r,p}$ anguli punctorum cyclis apparent. Si enim angulus, quem latera $s_\nu^-$, $s_\nu^+$ in anguli puncto $\lambda_\nu (\nu = 1, 2, \ldots, r-1)$ una claudunt, evanescit, substitutio $A_\nu$ parabolica est, sin hic angulus

$2\pi\varphi_\nu$ æqualis est, $A_\nu$ est substitutio elliptica hanc formam habens

$$\frac{A_\nu \eta - \lambda_\nu}{A_\nu \eta - \mu_\nu} = e^{2\pi\sqrt{-1}\varphi_\nu} \frac{\eta - \lambda_\nu}{\eta - \mu_\nu}, \qquad (0 < \varphi_\nu \leqq 1).$$

Simili modo summa $2\pi\varphi_r$ angulorum, qui in anguli punctis $\lambda_r^{(i)}$, quæ cyclum efficiunt, apparent, substitutionis $A_r$ naturam definit.

Nunc postulamus, ut monogeneæ et uniformes loci in $F_{r,p}$ functiones non solum intra polygoni normalis $\Phi_{r,p}$ superficiem, sed omnino uniformes ipsius $\eta$ functiones sint. Quod ad perveniendum necessarium et sufficientem esse manifestum est, quod $(z, t)$ uniformia in $\eta$ sunt. Ex ea re, quod $(z, t)$ in polygoni normalis $\Phi_{r,p}$ anguli puncta sunt uniformia, sequitur, ut Fuchs, vir illustrissimus, demonstravit, ut quantitates $\varphi_k$ nisi evanescunt, numeros fractos numeratorem 1 habentes esse necesse sit, utque $\eta$ in locis $z = a_k$, $t = b_k$ indefinitum esse non possit. Itaque

$$\varphi_k = \frac{1}{g_k}$$

ponere nobis licet, ubi $g_k$ positivus integer numerus finitus aut infinitus est, ut $A_k$ aut periodicæ ellipticæ, aut parabolicæ substitutiones sint.

Si $g_k = 1$ est, repræsentatio etiam in loco $a_k$ conformis est, et $\eta$ ad locum $z = a_k$, $t = b_k$ regulariter se habet, qua in re nequaquam punctum $a_k$ trema habendum est.

Aequationis differentio-differentialis (6), Nr. II. systematis fundamentalis $y_1, y_2$ elementa sic

$$y_1 = \sqrt{\frac{dz}{d\eta}}, \quad y_2 = \eta \sqrt{\frac{dz}{d\eta}}$$

exprimi posse respicienti differentio-differentialis æquationis resultant hæ qualitates:

Differentio-differentialis æquationis (6), Nr. II. solutiones ad varietatis $F_p$ loca omnia, quæ ab $(a_k, b_k)$ differunt, regulares, id est uniformes, finitæ, continuæ et in locis $(a_k, b_k)$ ipsis non indefinitæ sunt, ut primo $q(z)$ rationalis ipsorum $(z, t)$ functio sit, deinde æquatio differentio-differentialis eius classis, quæ Fuchsiana apellatur, sit, tum æquationum fundamentalium et determinantium, quæ ad puncta singularia $z=a_k$, $t=b_k$ pertinent, radicum differentiæ valores $\frac{1}{g_k}$ assumant. Proiectivarum substitutionum, quas integralium ratio, si punctum $(z, t)$ omnes in $F_p$ in se redeuntes cursus percurrit, subit, universitas, coniunctionis $G$ translationibus datur.

Videmus ad plane definiendum problema, quo de uniformi ac conformi superficiei $F_{r,p}$ repræsentatione in polygonum $\Phi_{r,p}$ normale agitur, angulos in singulis anguli punctis, quæ cyclos efficiunt, dandos esse, atque ita, ut aliquotæ ipsius $2\pi$ partes sint, sive quod idem est, trematum $a_1, \ldots, a_r$ cuique numerum integrum quemdam $g_1, \ldots, g_r$ assignandum esse, qui vel infinitus esse potest, quoque quantæ sint angulorum summæ in singulis ipsius $\Phi_{r,p}$ anguli punctorum cyclis, determinatur.

Numeris $p$, $r$ et $g_1, \ldots, g_r$ autem indicatis plani $P$, in quo polygonum normale $\Phi_{r,p}$ continetur, vis plane definita est. Curvatura integra enim polygoni $\Phi_{r,p}$ in plano $P$ siti, quod $4p+2(r-1)$ rectis lineis includitur, formata secundum Gauss habemus

$$\iint c\,dw = \sum_{k=1}^{r} \frac{2\pi}{g_k} - (4p+2r-4)\pi,$$

ubi $dw$ est area elementi plani $P$, et integrale per polygonum $\Phi_{r,p}$ extendendum est. Qua æquatione, cum factor $\iint dw$ e natura positivus sit, ut quantitatis $c$ signum, ita plani $P$ natura definitur. In breviter disputando sequitur, ut in casibus quibusdam, qui accurate

indicari possunt, accidat, ut $c>0$ aut $c=0$ sit, atque* trivialibus casibus, ubi $p=0$ et $r<3$ est, neglectis

$c>0$ erit, si

1. $p=0$, $r=3$, $g_1=2$, $g_2=2$, $g_3=$ numerus quivis,
2. $p=0$, $r=3$, $g_1=2$, $g_2=3$, $g_3=3$,
3. $p=0$, $r=3$, $g_1=2$, $g_2=3$, $g_3=4$,
4. $p=0$, $r=3$, $g_1=2$, $g_2=3$, $g_3=5$,

$c=0$ erit, si

5. $p=1$, $r=0$,
6. $p=0$, $r=4$, $g_1=2$, $g_2=2$, $g_3=2$, $g_4=2$,
7. $p=0$, $r=3$, $g_1=2$, $g_2=2$, $g_3=\infty$,
8. $p=0$, $r=3$, $g_1=2$, $g_2=4$, $g_3=4$,
9. $p=0$, $r=3$, $g_1=2$, $g_2=3$, $g_3=6$,
10. $p=0$, $r=3$, $g_1=3$, $g_2=3$, $g_3=3$;

qua in re videlicet numeri $g_k$ permutari possunt. Omnes ceteri casus $c$ negativum postulant, id est mutue uniformis et conformis varietatis $F_{r,p}$ repraesentatio in universum nisi in polygonum normale, quod in plano BOLYAIano continetur, fieri non potest.

Quibus rebus præmissis nobis duo diversa problemata sunt exsequenda, prout a polygono normali $\Phi_{r,p}$ aut varietate $F_{r,p}$ initium capiamus. Quibus duobus problematibus hanc formam induimus:

I. Est datum polygonum normale $\Phi_{r,p}$, ad quod angulorum in $r$ anguli punctorum cyclis summæ aliquotis $2\pi$ ipsius partibus datis æquales sunt aut evanescunt; num $\Phi_{r,p}$ mutue uniformiter et conformiter in simpliciter connexam varietatem $\overline{F}_{r,p}$, quæ ex varietate

* POINCARÉ, Acta Mathematica, tom. IV. pag. 226.

$F_{r,p}(2p+r)$-pliciter connexa et $r$ trematibus affecta secando prodit, repræsentari possit, quærimus.

II. Est data $2p+1$-pliciter connexa varietas $F_p$ in se rediens, quæ trematibus in locis $a_1, \ldots, a_r$ affectis, in varietatem $r$ lineis finitam mutata est; quorum trematum cuique numerus integer (qui vel infinite magnus esse potest) assignatus est. Simpliciter connexa varietas $\overline{F}_{r,p}$, quæ secando ex $F_{r,p}$ prodit, mutue uniformiter et conformiter in polygonum normale repræsentari num possit, quærimus.

Integrorum numerorum systema

$$(p, r, g_1, g_2, \ldots, g_r),$$

quod problematis cuiusque naturam definit, id problematis signaturam apellamus.

## IV.

### DE PRIORE PROBLEMATE TRACTANDO.

Sit polygonum normale $\Phi_{r,p}$ datum, id est igitur polygonum rectis lineis inclusum, quod est tale:

Si ipsius $\Phi_{r,p}$ peripheria directione positiva servata percurritur, latera hoc ordine

$$s_{r-1}^-, \; s_{r-1}^+, \ldots, s_1^-, \; s_1^+, \; \gamma_1^+, \; \delta_1^+, \; \gamma_1^-, \; \delta_1^-, \ldots, \gamma_p^+, \; \delta_p^+, \; \gamma_p^-, \; \delta_p^-$$

traiciuntur, bina latera $s_k^-, s_k^+$; $\gamma_k^-, \gamma_k^+$; $\delta_k^-, \delta_k^+$ congruentia sunt; porro ei anguli, qui latera $s_k^-, s_k^+$ in anguli punctis $\lambda_k$ una claudunt, æquales sint $\frac{2\pi}{g_k}$, angulorumque summa in ceteris anguli punctis $\lambda_r^{(i)}$ æqualis sit $\frac{2\pi}{g_r}$.

In quibus angulis indicandis ut intelleximus determinatur, planum

$P$, in quo polygonum $\Phi_{r,p}$ exsistit, RIEMANNianumne, an EUCLIDEum, an BOLYAIanum planum sit; absolutus huius plani curvaturæ mensuræ valor non ultra respiciendus est; si $c \neq 0$ est, $c$ unitati æquale eligere possumus.*

Exempla præcipue duos casus eligemus, quos applicationibus maximi momenti esse patebit (vide Nr. VI.).

1. Sit $r = 1$ et polygoni $F_{r,p}$ angulorum summa æqualis $2\pi$. Qua posita re, si $p = 0$ et ergo $c > 0$ est, nullum est polygonum, id est polygonum planum RIEMANNianum totum explet. Quod planum, cum infinite multis modis in varietatem quamvis simpliciter connexam et in se redeuntem uniformiter et conformiter repræsentari posse perspicuum sit, problema peractum esse dicere possumus, quam ob rem etiam in sequenti hic casus velim neglegatur. Cum, si $p = 1$ est, $c = 0$ habeamus (casus 5., Nr. III.), polygonum nihil aliud fit, nisi EUCLIDEI plani parallelogramma. Si $p > 1$ est, semper $c < 0$ est, polygonumque in plano BOLYAIano in figuram $4p$ latera habentem

$$\gamma_1^+, \delta_1^+, \gamma_1^-, \delta_1^-, \ldots, \gamma_p^+, \delta_p^+, \gamma_p^-, \delta_p^-$$

vertitur, quam EUCLIDEI plani parallelogrammati correspondere, quatenus quattuor latera $\gamma_k^+$, $\delta_k^+$, $\gamma_k^-$, $\delta_k^-$ æqualitatis relationes parallelogrammatis lateribus correspondentes præstant et angulorum summa etiam hic æqualis $2\pi$ est, dicere possumus. Eiusmodi figuram in plano BOLYAIano $4p$ latera habentem *isogramma generis* $p$ nominemus et pro isogrammate generis 1 EUCLIDEI plani parallelogramma habeamus.

* Planum $P$ curvaturæ mensuram $c$ habens, canonicæ coordinatæ $(p, q)$ constanti factore $\gamma$ multiplicatæ sive generaliter plani $P$ translatio ad $\gamma\eta$ applicata, in planum $P'$ cuius curvaturæ mensura $\gamma^2 c$ est, et cuius elementum lineare ab ipsius $P$ elemento lineari factore $\gamma$ differt, mutatur ita, ut correspondentes planorum $P$ et $P'$ figuræ similes sint. Si $c$ evanescit, $P'$ in $P$ incidit, quam ob rem in plano EUCLIDEO figuræ similes exsistunt.

Cum substitutio $A_r$ nihil aliud sit nisi substitutio identica, inter translationes $S_k$, $T_k$ hæc relatio est:

$$T_p S_p T_p^{-1} S_p^{-1} \ldots T_1 S_1 T_1^{-1} S_1^{-1} = 1.$$

2. Si $p = 0$, $r \geqq 3$ est, polygonum est figura, quæ $2r - 2$ anguli puncta efficit, et in qua bina latera $s_k^+$, $s_k^-$ $(k = 1, 2, \ldots, r-1)$ sunt congruentia. Quæ figura in plano RIEMANNiano in casibus solis 1.—4., Nr. III., in EUCLIDEO in eis 6.—10., in omnibus ceteris in plano BOLYAIano est; eiusmodi polygonum ruta appellatur.

In universum polygonum $\Phi_{r,p}$ translationes

$$\begin{array}{ll} A_r & (r = 1, 2, \ldots, r) \\ S_k, T_k & (k = 1, 2, \ldots, p) \end{array}$$

definit atque $A_r$ parabolicæ seu periodice ellipticæ substitutiones, cum $S_k$, $T_k$, si $p = 0$ est, id est præcipue si polygonum in plano RIEMANNiano situm est, omnino non apparent, sin polygonum in plano EUCLIDEO situm est, in casu solo 5., Nr. III., id est, si polygonum in parallelogramma versum est, $S_1$, $T_1$ apparent et hæ duæ substitutiones sunt translationes parallelæ, itaque substitutiones parabolicæ. In omnibus ceteris casibus bina latera $\gamma_k^+$, $\gamma_k^-$ et $\delta_k^+$, $\delta_k^-$ divergentibus plani BOLYAIani rectis lineis componuntur, ut translationes $S_k$, $T_k$ substitutiones hyperbolicas esse necesse sit.

Planum polygonum $4p + 2r - 2$ rectis lineis inclusum pro forma id est translatione quavis intra suum planum excepta ab $8p + 4r - 7$ realibus constantibus dependet. Cum ad polygonum normale $\Phi_{r,p}$ latera atque bina congruentia sint, $6p + 3r - 6$ constantes, quæ disponi possint, reliquuntur. Faciamus $g_1, g_2, \ldots, g_r$ esse data, polygonum normale $\Phi_{r,p}$ signaturam habens

$$p,\ r,\ g_1,\ g_2,\ \ldots,\ g_r$$

a realibus $6p+2r-6$ constantibus dependet, qui numerus, si $\Phi_{r,p}$ isogramma generis $p>1$ est, ad $6p-6$, si $p=1$ est, ad 2, si in rutam versum est, ad $2r-6$ reducitur.*

Qui numerus, ut oportet, cum parametrorum in summa numero convenit, a quibus translationes $A_\nu$, $S_k$, $T_k$, quæ polygono normali definitæ sunt, dependent, si signatura data putatur.

Si translationum coniunctionem $G$ ex his translationibus et ex earum inversis compositam contemplamur, omnes eas coniunctiones, quæ ad normalia datæ signaturæ polygona pertinent, holoëdrice isomorphas esse manifestum erit, ut idem numerus, quem supra commemoravimus, realium constantium offerat numerum, a quo holoëdrice isomorpharum translationum coniunctionum classis signatura

$$(p,\ r,\ g_1,\ g_2,\ \ldots,\ g_r)$$

definita dependet. Parametri constantes, a quibus polygonum normale $\Phi_{r,p}$, quod determinatæ signaturæ est, pendet, solum inæqualitatis condicionibus quibusdam limitati sunt.

Si horum parametrorum omne valorum systema spatii $\Sigma$ EUCLIDEI, cuius dimensionum numerus $\nu$ cum numero supra invento convenit, puncto expressum esse fingimus, hæc puncta $\nu$ dimensionum varietatem $M_\nu$, quæ in $\Sigma$ continetur, explebunt, ut omni signaturæ datæ polygono normali varietatis $M_\nu$ punctum correspondeat.

Ill. POINCARÉ** id theorema, quod sequentis disquisitionis fundamentum factum est, hanc varietatem $M_\nu$ in se redeuntem esse, probavit.

Cunctis ad nostrum polygonum $\Phi_{r,p}$ translationum coniunctionis $G$, quæ hæc polygono determinata est, translationibus applicatis in

* Vide POINCARÉ, Acta Mathematica, tom. I; KLEIN, Mathem. Annalen, tom. XXI, pag. 196.
** Acta Mathematica, tom. IV, pag. 250.

plano $P$ polygonorum, quæ cum $\Phi_{r,p}$ congruunt, reticulum adipiscimur. Ex ratione, cuius autor ill. POINCARÉ est,* ut ad casum, ubi polygonum in plano BOLYAIano exsistit, ita in universum, ficti reticuli polygonis totum planum simpliciter ac sine lacunis contegi ostendi potest.

Translationum coniunctionis $G$ qualitas, quæ ex rebus hoc modo inventis cognoscitur, coniunctionis $G$ discontinuitas appellatur, ut necessaria et sufficiens condicio, qua translationum coniunctio polygono normali $\Phi_{r,p}$ definita sit discontinua, ea re contineatur, quod angulorum in anguli punctorum cyclos nascentium summæ aut evanescunt, aut ipsius $2\pi$ aliquotæ partes sunt, seu breviter, ea re, quod ellipticæ inter substitutiones fundamentales $A_1, \ldots, A_r$ periodicæ sunt.

Si $\Phi_{r,p}$ in plano RIEMANNiano exsistit, cum totius plani RIEMANNiani area finito valore $\frac{4\pi}{c}$ sit, ut reticuli polygonorum numerus, ita discontinuæ translationum coniunctionis $G$ substitutionum numerus finitus est, atque in casibus 1.—4., Nr. III. est æqualis $2g_3$, 12, 24, 60; cum item planum RIEMANNianum, cuius curvaturæ mensura $c$ est, semper in sphæram EUCLIDEI spatii tres dimensiones habentis devolvi possit, hoc modo ad eam rationem, qua sphæræ superficies in polygona sphærica ac congruentia dividi potest, pervenimus.**

Si $c \leqq 0$ est, ut reticuli polygonorum numerus, ita numerus substitutionum discontinuæ translationum coniunctionis $G$ infinite magnus est. Ut problema I. exsequamur, nobis ostendendum est, complexæ variabilis $\eta$ monogeneas exsistere functiones, quæ intra $\Phi_{r,p}$ rationalium functionum vim habent et quarum valores in correspondentibus congruentium ipsius $\Phi_{r,p}$ laterum punctis conveniunt. Tales functiones,

* Acta Mathematica, tom. I, pag. 27; Cf. Handbuch der Theorie der linearen Differentialgleichungen, tom. II. pars. II. (Lipsiæ 1898.) pag. 104. squ.

** SCHWARZ, Journal für Mathematik (Crelle), tom. 75, pag. 292.

quæ coniunctionis $G$ sunt, automorphas functiones, ut ill. KLEIN, nominamus. Quod sine ulla difficultate ostendi potest, si $p=0$, $r=3$ est; et hos casus et nonnullos, qui facile tractandi sunt, alios præcipiamus, ut quæ sunt exempla ad sequentes generales investigationes facilius intelligendas idonea habeamus.

Si $p=0$, $r=3$ est*, polygonum est quattuor laterum ruta, quæ cum numerus $6p+2r-6=0$ sit, tribus numeris $g_1, g_2, g_3$ indicatis plane definitur. In æquatione (6), Nr. III. differentio-differentiali, cum $p=0$ sit, coëfficiens $q(z)$ functio ipsius $z$ rationalis est, et, ut semper, si $p=0$ est, varietatem $F_p$ planum EUCLIDEum, in quo complexæ variabilis $z$ valores, ut usus est, repræsentantur, eligere nobis licet; cum præterea lineari transformatione ad $z$ adhibita tria tremata $a^1$, $a_2$, $a_3$ in puncta $0$, $1$, $\infty$ $z$-plani transponere nobis liceat atque æquatio (6), Nr. III. classis FUCHSianæ sit et determinantium æquationum fundamentalium radicum differentiis $\frac{1}{g_1}, \frac{1}{g_2}, \frac{1}{g_3}$ valores esse necesse sit, hæc æquatio differentialis forma

$$(G) \qquad \frac{d^2y}{dz^2}=\frac{1}{4}\left\{\frac{\frac{1}{g_1^2}-1}{z^2}+\frac{\frac{1}{g_2^2}-1}{(1-z)^2}+\frac{\frac{1}{g_1^2}+\frac{1}{g_2^2}-\frac{1}{g_3^2}-1}{z(1-z)}\right\}$$

prodit, quæ est in summa differentialis æquatio GAUSSiana. Qua ex æquatione $z$ integralium rationis $\eta$ functionem automorpham re vera resultare demonstratur. Si $c>0$, id est in casibus 1.—4., Nr. III., hæc uniformis functio est rationalis, qua ad eos casus, in quibus æquatio ($G$) quæ dicuntur regularium solidorum functiones definit, pervenimus. Si $c=0$ est, casus 7., Nr. III. $z$ simpliciter pe-

* SCHWARZ, l. c.; KLEIN, Ikosaëder (Lipsiæ, 1884); KLEIN-FRICKE, Modulfunctionen (Lipsiæ, 1890) pag. 65, squ.

riodicam ipsius $\eta$ functionem offert, in casibus 8.—10., Nr. III. $z$ biperiodica ipsius $\eta$ functio fit, quæ multiplicationem complexam per secundam aut tertiam unitatis radicem patitur. In casibus, qui $c<0$ correspondent, variabilis $\eta$ functio $z$ non exsistit, nisi ipsi $\eta$ valores, qui realibus plani Bolyaiani punctis correspondent, id est ii, ad quos $1+c\eta\bar{\eta}\geqq 0$ est, tribuuntur, præterea præbet hæc functio uniformiter conformem $z$-plani Euclidei idoneis sectionibus $(0, \infty)$, $(1, \infty)$ secti repræsentationem in Bolyaiani plani rutam quadrangulatam. Si $g_1=g_2=g_3=\infty$, in quo casu huius rutæ quattuor anguli puncta sunt plani Bolyaiani puncta in infinitum remota, quæ modulares functiones ellipticæ dicuntur,* producuntur.

Iis casibus, in quibus polygonum $\Phi_{r,p}$ in plano Riemanniano situm est, peractis, eorum casuum, ubi $\Phi_{r,p}$ in plano Euclideo exsistit, duo solum nempe 5., 6., Nr. III. relinquuntur.

In priore 5., in quo $\Phi_{r,p}$ Euclidei plani parallelogramma $\Phi_1$ est, ellipticarum functionum theoria uniformes ipsius $\eta$ functiones eas, quibus intra parallelogramma $\Phi_1$ rationalium functionum vis est, quæque in oppositis ipsius $\Phi_1$ lateribus eandem valorum seriem assumunt, id est automorphas functiones, quæ ad $\Phi_1$ pertinent, præbet. Quo modo formandæ sint, a duarum geometricarum quantitatum, quæ ipsius $\Phi_1$ latera exprimunt, ratione $\tau$ dependet, quod est duabus realibus constantibus æquivalens complexa constans, a qua parallelogramma $\Phi_1$ præcipue dependet. Variabilis $\eta$ functiones automorphæ (ellipticæ), quæ ad $\Phi_1$ pertinent, earum duabus

$$z=\varphi(\eta),\quad t=\psi(\eta),$$

inter quas algebraica generis 1 æquatio est, via rationali exprimi pos-

* Vide Fuchs, Journal für Mathematik (Crelle), tom. 83; Dedekind, ibidem; Klein-Fricke, l. c.

sunt et binis valoribus $(z, t)$ omnibus punctum intra parallelogramma $\Phi_1$ et vice versa respondet. Si

$$t = x + y\sqrt{-1}, \quad z = u + v\sqrt{-1}, \quad \eta = p + q\sqrt{-1}$$

ponimus, $x, y, u, v$ sunt uniformes ipsorum $p, q$ functiones, quæ nobis, si e. g. $x, y, u, v$ pro EUCLIDEI spatii, cui quattuor dimensiones sunt, coordinatis habemus, duarum dimensionum varietatem $F_1$, cuius elementum lineare est

$$dS^2 = |dz|^2 + |dt|^2 = \{|\varphi'(\eta)|^2 + |\psi'(\eta)|^2\}(dp^2 + dq^2),$$

definiunt. Functionum $z, t$ ope in $F_1$ duo linearum cursus, ipsius $\Phi_1$ lateribus correspondentes determinantur, quæ sectiones $C_1$, $D_1$, quibus $F_1$ in simpliciter connexam varietatem $\overline{F_1}$ secetur, cogitandæ sunt, quæ varietas varietati $\Phi_1$ homœometrica est. $F_1$ in $z$-planum EUCLIDEUM proiecto, superficiem RIEMANNianum solitam, quæ ipsius $z$ functionis $t$ ramorum nexum repræsentat, adipiscimur. $z$ apte electo, $\eta$ elliptico primæ speciei integrali

$$\eta = \int \frac{dz}{\sqrt{z(1-z)(1-k^2 z)}}$$

exprimitur, cuius integralis modulus $k^2$ quantitate $\tau$ elliptica modularis functio quamvis uniformiter, tamen transcendenter definitus est.

In casu 6., polygonum $\Phi_{r,p}$ in plano EUCLIDEO situm est figura, quæ anguli puncta sex efficit, quæque triangulum apparet, in quo omnia puncta, quibus singula latera in duas æquales partes dividuntur, anguli puncta habenda sunt, id quod præcipue a duabus realibus constantibus dependet. Cum $p = 0$ sit, $z$ apte electo quattuor trematum tria e. g. $a_1$, $a_2$, $a_4$ in plano EUCLIDEO, quod $F_{r,p}$ cogitandum est, in $0, 1, \infty$ transponere possumus, qua re differentialis æquatio

(6), Nr. III. hanc formam induit*

$$(F) \qquad \frac{d^2y}{dz^2} = \left\{ \frac{1}{4} \frac{R''}{R} - \frac{3}{16} \frac{R'^2}{R^2} - \frac{\lambda^2}{R} \right\} y,$$

ubi

$$R = z(z-1)(z-a_3)$$

est, et $\lambda$, $a_3$ constantes, quæ etiam determinandæ sunt, denotant. Ex condicione, qua substitutiones proiectivæ, quas ratio integralium $\eta$ variabili $z$ circumcurrente subit, plani EUCLIDEI translationes sint, $\lambda$ evanescit, constans autem complexa $a_3$, duabus realibus constantibus, quæ polygonum $\Phi_{r,p}$ definiunt æquivalens, uniformi modo determinatur atque ita, ut, cum

$$\eta = \gamma_1 \int \frac{dz}{\sqrt{R}} + \gamma_2,$$

ubi $\gamma_1$, $\gamma_2$ constantes sunt, esse reperiatur, in summa rursus elliptica functio modularis sit.

Quo modo casibus, in quibus $c \geqq 0$ est peractis, ab initio supponere possumus polygonum $\Phi_{r,p}$ in plano BOLYAIano situm esse; si ita est, discontinua translationum coniunctio $G$ FUCHSiana quæ autem automorphæ functiones eius sunt, functiones FUCHSianæ appellantur, quas functiones exsistere probandi patent duæ viæ, ad quas investigandas hic transgrediamur.

Altera, ab illo. KLEIN** monstrata, iisdem principiis, quorum ope varietati duarum dimensionum in se ipsam redeunti (superficiei RIEMANNianæ) monogeneas et uniformes loci functiones exsistere demonstratur, continetur, neque ad eam rem solam pertinet, quod polygonum in plano BOLYAIano situm est, perinde suppositione

* FUCHS, Nachrichten Societatis Gottingensis, 1881, pag. 445.

** Mathem. Annalen t. XXI, pag. 141; RITTER, ibidem, tom. XLI, pag. 1, tom. XLIV, pag. 349; cf. KLEIN-FRICKE, Automorphe Functionen, tom. II, (Lipsiæ, 1901).

summas angulorum, qui in ipsius $\Phi_{r,p}$ anguli punctis, quæ cyclum efficiunt, nascuntur, ipsius $2\pi$ aliquotas partes esse neglecta ad optatum nos deducit.*

Altera via, cuius autor ill. POINCARÉ est,** functiones FUCHSianas exsistere ita probatur, ut hæ funtiones seriebus quibusdam convergentibus exprimantur, quæ via ipsa tum solum ineunda est, si polygonum normale $\Phi_{r,p}$ in plano BOLYAIano exsistet eiusque anguli eis condicionibus, ex quibus coniunctionis $G$ discontinuitas sequitur, satisfacient. Posita est in ea cogitatione, quæ etiam ad proponendas quæstiones generaliores magni momenti est:

Si coniunctionis $G$ FUCHSianæ polygono $\Phi_{r,p}$ determinatæ substitutiones serie aliqua electa

$$S_0,\ S_1,\ S_2,\ \ldots,\ (S_0 = 1),$$

designamus et $H(\eta)$ rationalem ipsius $\eta$ functionem aliquam, quæ in nullo plani BOLYAIani loco $\eta$ in finito sito infinita est, denotat, series infinita

(1) $$\Theta(\eta) = \sum_{\nu=0}^{\infty} H(S_\nu \eta)\left(\frac{dS_\nu \eta}{d\eta}\right)^m,$$

designante $m$ positivum integrum unitate maiorem numerum, absolute et uniformiter convergit ad omnes valores complexos ipsius $\eta$, et eis, qui æquationi

(2) $$1 + c\eta\bar{\eta} = 0$$

satisfaciunt et exceptis eis, ad quos rationalium functionum $H(S_\nu \eta)$ aut $\frac{dS_\nu \eta}{d\eta}$ aliqua infinitum fit.

* Si angulorum summæ non aliquotæ ipsius $2\pi$ partes sunt, variabilis $\eta$ functiones, quas exsistere probabitur, iam non undique uniformes esse perspicuum est.

** Acta Mathematica, tom. I. pag. 193. squ.

III. POINCARÉ seriem (1), quam seriem Theta-FUCHSianam designavit, duabus diversis rationibus convergentem esse probavit; utrique commune est id, quo seriei (1) convergentiam a convergentia seriei

$$\sum_{\nu=0}^{\infty}\left(\frac{dS_\nu \eta}{d\eta}\right)^m \tag{3}$$

dependere demonstratur.

Prior probandi ratio præcipue ea re nititur, quod planum BOLYAIanum $S$, in quo polygonum $\Phi_{r,p}$ continetur, in planum EUCLIDEum $\Sigma$, cuius elementum lineare $ds$ æquatione

$$ds = |d\eta| = \sqrt{dp^2 + dq^2}$$

expressum est, ita conformiter repræsentatur, ut plani $S$ realibus punctis omnibus plani $\Sigma$ puncta intra circulum (2), punctis autem plani $S$ in infinitum remotis circuli (2) peripheriæ $\Sigma$-puncta respondeant. Si tum e. g. circum punctum $\eta$, quod intra eam plani $\Sigma$ regionem $\overline{\Phi}_{r,p}$ positum sit, quæ polygono $\Phi_{r,p}$ respondet, aliquam partem $C_0$ limitatam esse, quæ intra $\overline{\Phi}_{r,p}$ tota sita sit, fingimus et si omnes regiones $C_\nu$, quæ ex $C_0$ substitutionibus $S_\nu$ applicatis prodeunt, delineamus, hæc cunctæ intra circulum (2) sunt neque ex coniunctionis $G$ discontinuitate, aliæ alias contegere possunt, itaque tota earum arearum, quæ e geometria EUCLIDEA mensuratæ sunt, summa, cum minor sit quam circuli (2) area, valorem habet finitum; qua ex re sponte sequitur, ut series (3) convergens sit.

Altera probandi ratio plani BOLYAIani $S$ mensura sola utitur. Circulorum series $C_1, C_2, \ldots$ ita delineetur, ut commune iis centrum punctum $\eta = 0$ sit, quorum radii e geometria BOLYAIana mensurati progressione arithmetica crescant. Si $U_n$ seriei (3) eorum terminorum, ad

quos $\eta$ intra $\Phi_{r,p}$ delecto puncta $S_\nu \eta$ in annulo a $C_{n-1}$ et $C_n$ limitato sunt sita, summa est,

$$U_n < \frac{K}{e^{n(m-1)\rho}}$$

esse patet, ubi $K$ constans definita, $\varrho$ autem circuli $C_1$ radius est, unde sequitur, ut series (3) rapidius convergat quam series geometrica

$$\sum_{n=0}^{\infty} \frac{K}{e^{n(m-1)\rho}}.$$

Ex eadem probandi ratione realibus $6p+2r-6$ parametris, qui polygonum $\Phi_{r,p}$ signatura data determinant, intra fines quosdam variatis, seriem (1), cum ad illos parametros uniformiter convergens sit, continuam eorum functionem esse cognoscitur.

Itaque series (1) ad eos $\eta$-valores, qui plani Bolyaiani punctis realibus correspondent, id est quæ inæquationi

$$1 + c\eta\bar{\eta} > 0$$

satisfaciunt, monogeneam et uniformem ipsius $\eta$ functionem, quæ intra polygonum $\Phi_{r,p}$ in finito locorum numero solo æque ac functio rationalis infinita fit, exprimit; ad quam functionem plani $S$ punctorum in infinitum remotorum, id est eorum valorum, qui æquationi (2) satisfaciunt, universitas finis naturalis est. Eandem seriem (1) ad $\eta$-valores, qui inæquationi

$$1 + c\eta\bar{\eta} < 0$$

satisfaciunt, uniformem functionem, cui valores, qui æquationi (2) satisfecerunt, finem naturalem constituunt, exprimere in nostris sequentibus deliberationibus non respiciendum est; quidquid id est inter has

duas functiones, quamvis una eademque expressione analytica exprimantur, nullam cohærentiam analyticam esse tantum constat. Itaque omnibus ceteris rebus omissis ei functioni serie (1) ad realia plani BOLYAIani puncta definitæ, quæ functio Theta-FUCHSiana designatur, operam demus.

Quam functionem æquationi functionali

$$\Theta(S_k\eta) = \left(\frac{dS_k\eta}{d\eta}\right)^{-m} \Theta(\eta) \tag{4}$$

satisfacere manifestum est, ita ut talium functionum Theta-FUCHSianarum diversis functionibus rationalibus $H(\eta)$ eodem autem numero $m$ formatarum rationalis homogenea forma gradus o non mutetur, si ad $\eta$ coniunctionis FUCHSianæ $G$ substitutio applicata erit, quæ forma, cum intra $\Phi_{r,p}$ in finito locorum numero æque ac rationalis functio infinita fiat, functionem FUCHSianam ad $\Phi_{r,p}$ pertinentem exprimit. Talem functionem quamque earum duabus

$$z = \varphi(\eta), \quad t = \psi(\eta),$$

inter quas æquatione algebraica $F(z, t) = 0$ generis $p$ relatio est, rationaliter exprimi posse patet.

Si

$$z = u + v\sqrt{-1}, \quad t = x + y\sqrt{-1}$$

ponimus duabus ipsius $\eta$ functionibus $z$, $t$ in spatio EUCLIDEO $(u, v, x, y)$, cui quattuor dimensiones sunt, duarum dimensionum $2p+1$-pliciter connexam varietatem $F_{r,p}$ selectam habemus, quæ in $r$ punctis, polygoni $\Phi_{r,p}$ angulis correspondentibus, trematibus affecta est. Quæ varietas iuxta curvas ipsius $\Phi_{r,p}$ lateribus correspondentes secta in simpliciter connexam varietatem vertitur, quæ ad polygonum $\Phi_{r,p}$ homœometrica esse videtur. Si $F_{r,p}$ in complexæ variabilis $z$ repræ-

sentationis planum proiicimus, solita superficies RIEMANNiana, quæ ad ipsius $z$ algebraicam functionem $t$ pertinet et quæ in $r$ locis, polygoni $\Phi_{r,p}$ anguli punctis correspondentibus, trematibus affecta est, prodit.

Priore problemate ita peracto duabus functionibus $z=\varphi(\eta)$, $t=\psi(\eta)$ polygoni $\Phi_{r,p}$ mutationem in varietatem in se ipsam redeuntem et $r$ trematibus affectam, quæ mutatio in paragrapho II. e situs analysi continua ipsius $\Phi_{r,p}$ deformatione et coniugatis lateribus conglutinatis effecta est, re vera ita factam esse dicere possumus, ut varietas orta, aut exactius ei correspondens et simpliciter connexa, polygono $\Phi_{r,p}$ non modo homœomorpha sed etiam homœometrica sit.

## V.

### DE ALTERO PROBLEMATE TRACTANDO.

Qua in re nobis e $2p+1$-pliciter connexa et in se ipsam redeunte varietate, cuius duæ dimensiones sunt, quæque in $r$ locis $a_1, \ldots, a_r$ trematibus est affecta, ita ut temati cuique certus et integer numerus assignatus sit, proficiscendum est. Eæ huius varietatis $F_p$ loci functiones, quæ uniformes et monogeneæ sunt, earum duabus $z$, $t$ via rationali exprimi possunt, cum $z$ et $t$ algebraica æquatione $F(z,t)=0$ generis $p$ coniungantur. Algebraica functio $t$ ipsius $z$ superficiem RIEMANNianam per EUCLIDEum $z$-planum extensam, quæ varietati $F_p$ datæ homœometrica est, definit. Si non a varietate in se ipsam redeunte, sed ab æquatione $F(z,t)=0$ algebraica, quæ generis $p$ inter duas variabiles $z$, $t$ est, proficiscimur, in superficie RIEMANNiana $R_p$ efficienda, quæ supra $z$-planum EUCLIDEum extensa est et quæ nexum functionis algebraicæ $t$ exprimit, nulla difficultate implicamur.

Quam $2p+1$-pliciter connexæ varietati in se ipsam redeunti e. g. superficiei normali BOLYAIanæ homœomorpham esse, ex iis rebus, quas in Nr. I. inquisivimus, perspicuum est, num autem $R_p$ e. g. ad normalem superficiem BOLYAIanam homœometrice referri possit, nondum diiudicatum est.* Quam ob rem alteri problemati formam induentes, a superficie RIEMANNiana supra EUCLIDEum planum complexæ variabilis $z$ extensa et $2p+1$-pliciter connexa, quæ algebraicam ipsius $z$ functionem $t$ definit, primo proficiscamur, deinde postquam hanc superficiem $r$ trematibus, quæ locis

$$z = a_k, \quad t = b_k \qquad (k=1, 2, \ldots, r)$$

affecta sunt, in $R_{r,p}$ vertimus et tremati cuique $(a_k, b_k)$ numerum integrum $g_k$ assignavimus, num simpliciter connexa superficies $\overline{R}_{r,p}$, quæ ex $R_{r,p}$ sectionibus apte electis prodit, ad polygonum $\Phi_{r,p}$ signaturæ $(p, r, g_1, \ldots, g_r)$ normalem homœometrice referri possit, quæramus. Ex analysi hæc quæstio sic proponi potest:

Nobis, ut polygonum normale $\Phi_{r,p}$ definiatur, fieri posse supponentibus, $\eta = p + q\sqrt{-1}$ æquationis differentio-differentialis

$$\frac{d^2 y}{dz^2} = q(z, t)\, y \tag{1}$$

integralium ratio definitur, in qua æquatione $q(z, t)$ variabilium $z$, $t$, æquatione generis $p$

$$F(z, t) = 0, \tag{2}$$

quæ data putanda est, coniunctarum, functionem rationalem denotat. Quam ad functionem rationalem determinandam quæstionibus datis (cf. Nr. III.) offeruntur hæ condiciones: Aequatio differentialis

* Cf. POINCARÉ, Journal de Mathématiques (Liouville), series V, tom. IV, pag. 149.

(1) est classis FUCHSianæ, id est eius integralia nusquam indefinita, æquationum fundamentalium et determinantium, quæ singularium punctorum $(a_k, b_k)$ sunt, radicum differentiis sunt valores $\frac{1}{g_k}$, ad omnia cetera loca $(z, t)$ integralium ratio $\eta$ regulariter se habet, id est in superficie $R_p$ uniformis, finita, continua est. Generaliter hæ condiciones solæ ad $q(z, t)$ plane definiendum non sufficiunt, sed constantium, quæ algebraice definiri non possunt et quæ cum claro. KLEIN parametros accessorios nominamus, numerus quidam relinquitur. Solum si $p = 0$, $r = 3$ est, parametrorum accessoriorum numerus evanescit, in quo casu hoc problema revera Nr. IV. considerationibus peractum est; idem pertinet ad casus 5., 6., Nr. III., in quibus, quamquam accessorii parametri apparent, functionum ellipticarum theoria ipsa, quomodo definienda sint, indicat. Nihilo secius casus hoc modo peracti, in quibus polygonum normale $\Phi_{r,p}$ in plano RIEMANNiano aut EUCLIDEO situm est, id est in quibus numerus

$$\sum_{k=1}^{r} \frac{1}{g_k} - (2p + r)$$

positivus est aut evanescit, in sequentes considerationes velim iniiciantur.

Ubi $q(z, t)$ ex condicionibus, quæ quæstionibus datis offeruntur electum est, æquatio differentialis (1) appellatur normalis æquatio.* Omnes æquationes differentiales (1), quæ diversis accessoriorum parametrorum valoribus differunt, typo amplectimur, ita ut hoc problema nihil aliud sit atque:

> num in æquatione differentio-differentiali (1) parametri accessorii ita definiri possint, ut proiectivarum substitutionum,

* POINCARÉ, Acta Mathematica, tom. IV, pag. 223.

> quas integralium ratio $\eta$ subit, ubi punctum $(z, t)$ omnes cursus in se ipsos redeuntes in superficie RIEMANNiana percurrit, coniunctio * e meris translationibus plani $P$, quod problematis signatura ad suam naturam definitum est, composita sit?

Quam rem ut in universum peragamus, compluribus methodis, quas singillatim paucis describamus, uti possumus.

1. De continuitatis methodo.**

Si supponimus in normali polygono solum ea data, quæ problematis signaturam determinant, constituta esse, id est igitur numeros $p, r, g_1, \ldots, g_r$ neque superficiem RIEMANNianam $R_p$, sive æquationem algebraicam (2), neque trematum positionem $(a_k, b_k)$, coëfficiens $q(z, t)$ etiam ab realium parametrorum numero $N$ quodam dependet Quorum parametrorum valorum systemate omni varietatis $\overline{M}$ punctum significetur, ita ut signatura data, omnis æquationum differentialium (1) typus huius varietatis puncto correspondeat. Qua cum varietate $\overline{M}$ eam $M_\nu$, quæ in Nr. III. ea re definita erat, quod omne punctum ipsius $M_\nu$ polygono normali $\Phi_{r,p}$, cuius signatura est $(p, r, g_1, \ldots, g_r)$ correspondet, si conferimus, ex antecedentis paragraphi IV. fructibus omni puncto ipsius $M_\nu$ punctum ipsius $M$ probe determinatum correspondere dici possumus.

Cum autem theorema,*** intra æquationum differentialium (1) typum unam æquationem unicam, cuius monodromiæ coniunctio e meris plani $P$ translationibus composita est, exsistere posse valeat, ipsius $\overline{M}$ puncto unum ipsius $M_\nu$ punctum unicum correspondet. Quoniam in Nr. III. varietatem $M_\nu$ in se ipsam redeuntem esse cognovimus, sequitur, ut e contrario omni varietatis $\overline{M}$ puncto ipsius

* Quæ dicitur æquationis differentialis (1) monodromiæ coniunctio

** POINCARÉ l. c. pag. 233 squ.; KLEIN, Mathematische Annalen, tom. XX.

*** POINCARÉ, l. c. pag. 231.

$M_\nu$ punctum correspondeat necesse sit, id est, ut omni æquationum differentialium (1) typo polygonum normale $\Phi_{r,p}$ correspondeat, quam ob rem quæstio supra proposita cum affirmatione respondenda est.

2. De æquationis differentialis LIOUVILLEanæ ratione ac via integrationis.*

Primo $2p+1$-pliciter connexam varietatem $F_p$ in se ipsam redeuntem, cui dimensiones sunt duæ, e. g. normalem BOLYAIanam superficiem datam esse supponimus; $z$, $t$ sint duæ uniformes et monogeneæ loci in $F_p$ functiones, quæ algebraica æquatione $F(z, t) = 0$ coniunguntur. Deinde, si $z = u + v\sqrt{-1}$ statuitur, ipsius $F_p$ elementum lineare $dS$ æquatione

$$dS^2 = \varDelta(du^2 + dv^2) \tag{3}$$

exprimitur, in qua $\varDelta$ ipsorum $u$, $v$ functionem, quæ nota habenda est, significat. Varietas $F_p$ in locis

$$z = a_k, \quad t = b_k \tag{4}$$

trematibus affecta, superficies $F_{r,p}$ curvis finita prodit, cuius signaturam numeris integris $g_k$ trematibus $(a_k, b_k)$ assignandis constituimus. Si polygonum normale $\Phi_{r,p}$ simpliciter connexæ varietati $\overline{F}_{r,p}$, quæ ex $F_{r,p}$ secta prodit, homœometricum exsistit, plani $P$, in quo $\Phi_{r,p}$ situm est, elementum lineare $ds$ forma

$$ds^2 = \lambda(du^2 + dv^2) \tag{5}$$

exprimi posse necesse erit, ubi (cf. Nr. III.)

$$U = \log\lambda$$

æquationi LIOUVILLEanæ

$$\varDelta U = -2ce^U,$$

et ergo

* POINCARÉ, Journal de Mathématiques (Liouville), series V, tom. IV, pag. 137—230; cf. PICARD, ibid. series IV, tom. VI, IX, series V, tom. IV.

$$\overline{U} = U - \log \Delta = \log \frac{\lambda}{\Delta}$$

æquationi differentio-differentiali

$$(6) \qquad D\overline{U} = -2ce^{\overline{U}} - D \log \Delta$$

satisfacit, in qua æquatione

$$DV = \frac{1}{\Delta} \Delta V$$

statuendum est. Unde sequitur, ut variabilis $\eta$, qua ad relationem inter $\Phi_{r,p}$ et $\overline{F}_{r,p}$ homœometricam pervenimus, linearis æquationis differentio-differentialis

$$(7) \qquad \frac{d^2 y}{dz^2} = q\,(z, t)\,y,$$

ubi

$$(8) \qquad q\,(z, t) = \frac{1}{\varphi} \frac{\partial^2 \varphi}{\partial z^2}, \quad \varphi = \frac{2}{\sqrt{\Delta}} e^{-\frac{\overline{U}}{2}}$$

est, integralium ratio appareat neque dubium sit, quin differentialis æquatio (7) sit normalis æquatio, qualem supra descripsimus. Cum condiciones supra commemoratæ, quibus, ut ex quæstionibus datis sequitur, $q\,(z.\,t)$ subiciendum est, quomodo $q\,(z, t)$ ad omnia superficiei $F_{r,p}$ loca se habeat, definiant, eædem, quomodo realis functio $\overline{U}$ realium variabilium $u$, $v$ se habeat, definiunt et $\overline{U}$ per totam superficiem $F_{r,p}$ uniformem et continuam esse atque trematibus $(a_k, b_k)$ modo numeris $g_k$ solum determinato infinitum fieri patet.* Qua ex re** functio realis $h$ in superficie $F_{r,p}$ (trematibus exclusis) uniformis et finita indicari potest, ita ut functio

* Poincaré, l. c. pag. 157.
** Poincaré, l. c. pag. 160.

$$\overline{\overline{U}} = \overline{U} + h = U - \log \varLambda + h$$

per totam superficiem $F_p$ finita maneat, quæ functio $\overline{\overline{U}}$ æquationi

$$(9) \qquad D\overline{\overline{U}} = \Theta e^{\overline{\overline{U}}} - \Phi$$

satisfacit, ubi

$$\Theta = -2ce^{-h}, \qquad \Phi = D \log \varLambda - Dh$$

statutum est. Functiones $\Theta$, $\Phi$ quæstionibus datis sunt definitæ, $\Theta$ semper a zero differt, $\frac{\Phi}{\Theta}$ semper finitum habet valorem, integralique

$$\iint \Phi \varLambda \, du \, dv$$

per superficiem $F_p$ extenso facile est intelligendum* esse hunc valorem

$$4\pi \left\{ 2p + r - 2 - \sum_{k=1}^{r} \frac{1}{g_k} \right\},$$

qui (cf. pag. 30) nihil aliud est, nisi polygoni normalis $\Phi_{r,p}$ signaturam

$$(p, r, g_1, \ldots, g_r)$$

habentis curvatura integra dupla et signo opposito affecta.

Nunc agitur de investigando, num superficie $F_p$ data, trematibus $(a_k, b_k)$ datis, integris numeris $g_k$ datis, id est igitur functionibus $\varLambda$, $\Theta$, $\Phi$ datis, partiali æquationi differentio-differentiali (9), functione $\overline{\overline{U}}$ per totam superficiem $F_p$ in se ipsam redeuntem uniformi et finita, satisfieri possit. Quam solutionem exsistere, PICARD et POINCARÉ, viri illustrissimi, diversis rationibus adhibitis probaverunt.

Nobis non a superficie $F_p$ in se ipsam redeunte, sed ab æquatione $F(z, t) = 0$ generis $p$ proficiscentibus, viis ac rationibus paulo

* POINCARÉ, l. c. pag. 227.

ante expositis modificandis opus est. Si enim ponimus $R_p$ esse superficiem RIEMANNianam solitam, quæ ipsius $z$ functionis algebraicæ $t$ ramorum nexum repræsentat, nihil aliud nisi superficiem $F_p$ normalem BOLYAIanam $2p+1$-pliciter connexam, quæ $R_p$ ipsi homœomorpha (non homœometrica) est. exsistere supponere possumus, ut quadrato elementi linearis ipsius $F_p$ in universum non forma (3), sed generalis forma

$$dS^2 = Edu^2 + 2Fdudv + Gdv^2$$

solum induenda sit, quam ob rem, ut ill. POINCARÉ docuit, pro quantitate $\lambda$, ratio arearum infinite parvarum in EUCLIDEO $z$-plano et in superficie $F_p$ sibi mutuo respondentium statuenda est, omnia autem cetera non mutentur.

3. Transformationis iteratæ methodus.

Hæc via ac ratio solum quatenus specialiter $p=0$, $g_k=\infty$ et tremata $a_1, \ldots, a_r$ (quæ, cum $p=0$ est, in EUCLIDEO $z$-plano sita sunt habenda) in circulo sunt, peracta est.*

Ex geometria investigationibus hoc paragrapho breviter indicatis sic inventum est.

Cum duæ varietates, quæ ex $2p+1$-pliciter connexis varietatibus in se ipsas redeuntibus $r$ trematibus selectis ortæ sunt, semper homœomorphæ sint, tamen tum et tum solum sunt homœometricæ, si iis idem polygonum normale correspondet.

* Journal für Mathematik (Crelle), tom. CV, pag. 181—232, Handbuch der Theorie der lin. Differentialgleichungen, tom. II, pars II (Lipsiæ, 1898), pag. 268—324; cf. POINCARÉ, Acta Mathematica, tom. IV, pag. 285—300.

## VI.

### APPLICATIONES.

Priusquam ad applicationes theoriarum generalium quas antea paucis indicavimus enumerandas iam transibimus, casus quosdam peculiares intueamur.

1. De isogrammate, quod ad æquationem inter duas variabiles algebraicam spectat.*

Quam investigationem incipimus ab eo casu, in quo polygonum normale est isogramma (vide pag. 33) generis $p$, casu $p=0$ triviali neglecto. Eæ res quas in paragraphis III. et IV. invenimus, docent:

*a)* Ubi isogramma $\Phi_p$ generis $p$ datum est, omnes uniformes ipsius $\eta$ functiones, quibus intra $\Phi_p$ rationalium functionum vis est, quæque in correspondentibus ipsius $\Phi_p$ coniugatorum laterum punctis eosdem valores assumunt, earum duabus

$$z=\varphi(\eta),\quad t=\psi(\eta),$$

inter quas æquatione algebraica

$$F(z, t)=0$$

generis $p$ est relatio, via rationali exprimi possunt, isogrammaque simpliciter connexæ superficiei $\overline{R}_p$, quæ ex superficie RIEMANNiana $R_p$, quæ ad æquationem $F(z, t)=0$ pertinet, sectionibus apte electis prodit, homœometricum est.

*b)* Si vice versa, æquatio algebraica $F(z, t)=0$ generis $p$, sive

* POINCARÉ, Acta Mathematica, tom. I, pag. 254 squ.; KLEIN, Mathem. Annalen, tom. XXI, pag. 141 squ.; SCHWARZ, Commentationes mathem. coll., tom. II (Berolini 1890) pag. 363 squ.

eius superficies RIEMANNiana data est, hæc superficies sectionibus $C_k$, $D_k$ apte electis in simpliciter connexam $\overline{R}_p$ verti potest, quæ semper isogrammati $\Phi_p$ generis $p$ homœometrica est. Planum $P$, in quo hoc isogramma exsistit, tantum si $p=1$ est, EUCLIDEum, si $p>1$ est semper BOLYAIanum planum est. Si $\mathfrak{p}$, $\mathfrak{q}$ plani $P$ canonicæ coordinatæ sunt, $z$, $t$ sunt uniformes et automorphæ ipsius $\eta=\mathfrak{p}+\mathfrak{q}\sqrt{-1}$ functiones atque, si $p=1$ est, biperiodicæ, sin autem $p>1$ est, FUCHSianæ, quæ functiones nisi ad eos $\eta$ valores, quibus realia plani $P$ puncta correspondent, non exsistunt.

Primæ et secundæ speciei etiam integralia, quæ ad æquationem $F(z,t)=0$ pertinent, sunt uniformia in $\eta$ et cum $\eta$ substitutionem translationum coniunctionis $G$, quæ isogrammatis $\Phi_p$ est, subit, tale integrale periodicitatis modulo augetur.

Via ac ratio indicata variabiles æquatione generis $p$ coniunctas in casu, quo $p=1$ est, in forma nota uniformium et biperiodicarum integralis primæ speciei functionum sistit, quam ob rem harum variabilium repræsentationem, quam eadem via ac ratione, si $p>1$ est, functionum FUCHSianarum ope adipiscimur, pro genuina repræsentationis, si $p=1$ est, notæ generalisatione habere possumus.

*c)* Si $G(z_1, t_1)=0$ æquationem denotat, quæ ex æquatione $F(z,t)=0$ birationali via transformata prodit, ita, ut una cum $F(z, t)=0$ eiusdem classis sit, ut ill. RIEMANN sensit, isogramma $\Phi_r$ ad utramque æquationem idem est et e contrario, duæ æquationes, quibus idem isogramma correspondet birationali transformatione altera in alteram mutari possunt, ut ea data, quibus isogramma definitur, sint classis invariantes. Cum isogramma generis $p$, si $p>1$ est, a $6p-6$ realibus id est a $3p-3$ complexis parametris quibus definitur dependeat, hic parametri, qui ab illo. RIEMANN dicuntur classis moduli, cogitari possunt. Si 1 est, unum habemus modulum, periodorum rationem $\tau$ (cf. Nr. III.).

Quibus ex geometria perlustratis, duas superficies RIEMANNianas $2p+1$-pliciter connexas sive, ut magis in universum loquamur, $2p+1$-pliciter connexas varietates duarum dimensionum in se ipsas redeuntes tum et tum solum homœometricas esse, si iis idem isogramma correspondet, numerumque condicionum, quibus satisfaciendum sit, $6p-6$ esse (si $p>1$), et homœometricas superficies RIEMANNianas sive varietates in se ipsas redeuntes semper birationali transformatione aliam in aliam transduci posse dicimus.

Isogrammate, quod ad algebraicam æquationem duarum variabilium pertinet, classis modulos maxime illustrari videmus. Quæ cogitandi ratio quos fructus algebraicarum functionum theoriæ produxerit ut cognoscatur, sufficiat monstrare illum. POINCARÉ primum isogrammatis ope hoc theorema subtiliter probavisse,* æquationem algebraicam, cuius genus $p>1$ est, finito birationalium transformationum numero solo in se ipsum transferri posse; unde iam sequitur hoc theorema: æquationem differentialem primi ordinis ramificationis puncta fixa habentem, semper algebraicis operationibus integrari posse, si algebraicæ relationis inter dependentem variabilem et eius derivatam genus est maius unitate.

Birationales transformationes eæ, quibus adhibitis algebraica æquatio $F(z, t)=0$ in se ipsam redditur, isogrammatis qualitatibus morphologicis plane illustrantur; e. g. æquatio hyperelliptica breviter ea re describitur, quod $2p$ hyperbolicarum (tum solum parabolicarum, si $p=1$ est) substitutionum, quibus latera isogrammatis congruentia ad se transferuntur, axis uno puncto secantur.**

* Acta Mathematica, tom. VII, pag. 1 squ.

** STOUFF, Theses (Parisiis, 1888) pag. 45.

Præterea applicationes ad ABELianarum integralium theoriam clar. HUMBERT docuit.*

2. De principio, quod ill. POINCARÉ proposuit.**

Si $y_1, \ldots, y_m$ monogenearum complexæ variabilis $z$ functionum systema denotat, quæ functiones ad puncta omnia RIEMANNianæ superficiei $R_p$, quæ ad æquationem algebraicam

$$F(z, t) = 0$$

pertinet, finito numero singularium punctorum

$$z = a_k, \quad t = b_k \qquad (k = 1, 2, \ldots, r)$$

excepto, uniformes sunt, horum singularium punctorum cuique integer numerus $g_k$ hunc in modum assignetur. Si functionum $y_1, \ldots, y_n$ eorum ramorum, qui puncto $(a_k, b_k)$ nexum habent, numerus finitus est, $g_k$ huic numero æqualis eligatur, aliter sit $g_k = \infty$. Si superficiem $R_p$ in locis $(a_k, b_k)$ trematibus affectum esse, numero $g_k$ autem correspondente tremati cuique assignato polygonum normale $\Phi_{r,p}$, quod simpliciter connexæ superficiei $\overline{R}_{r,p}$ homœometricum sit, delineatum esse fingimus, ut $y_1, \ldots, y_n$, ita $z$ et $t$ ipsa functiones ipsius $\eta = \mathfrak{p} + \mathfrak{q}\sqrt{-1}$ uniformes apparent, si $\mathfrak{p}$, $\mathfrak{q}$ coordinatas canonicas in plano, quod polygonum $\Phi_{r,p}$ contineat, designant, ita ut functionalis relatio inter $y_1, \ldots, y_n$ et $(z, t)$ variabili $\eta$ auxiliaria introducta uniformetur. Hæc cogitandi ratio POINCAREianum principium appellatur. E. g. $y_1, \ldots, y_n$ homogeneæ et linearis æquationis differentialis $n$-ti ordinis systematis fundamentalis elementa denotare fieri possunt, cuius coëfficientes sunt rationales ipsorum $(z, t)$ functiones.

Tum ad ipsorum $p$, $r$, $g_k$ valorum systemata, quæ casibus 5.—10.,

* Journal de Mathématiques (Liouville), series IV, tom. III, pag. 327—404.

** Acta Mathematica, tom. IV, pag. 277 squ.

Nr. III. correspondent, æquatio differentialis linearis, de qua agitur, talis est, ut auxiliaria variabili $\eta$ introducta eius coëfficientes uniformes et biperiodicæ ipsius $\eta$ functiones fiant. Quam ob rem nota ratio ac via æquationem differentialem LAMÉianam et magis in universum æquationem differentialem quæ dicitur PICARDiana integrandi, specialis casus in generalem rationem supra indicatam, linearem æquationem differentialem algebraicos coëfficientes habentem integrandi continetur.

Sit data homogenea et linearis differentialis æquatio $n$-ti ordinis

$$(A) \qquad \frac{d^n y}{dz^n} + p_1 \frac{d^{n-1} y}{dz^{n-1}} + \cdots + p_n y = 0,$$

coëfficientes in $z$ rationales habens, quæ classis FUCHSianæ est cuiusque integralia in EUCLIDEI $z$-plani punctis $a_1, \ldots, a_r$ nexum dant et porro $r_{k1}, \ldots, r_{kn}$ æquationum fundamentalium et determinantium, punctis $z = a_k$ correspondentium, radices sint. Si omnia $r_{k1}, \ldots, r_{kn}$ sunt rationales numeri et in integralibus circum $a_k$ explicandis logarithmi non apparent, numerus $g_k$ generali denominatori ipsorum $r_{k1}, \ldots, r_{kn}$ æqualis, in omnibus ceteris casibus autem infinite magnus est eligendus. Normali polygono $\Phi_{r,0}$ signaturam $(0, r, g_1, \ldots, g_r)$ habenti, quod $z$-plano sectionibus

$$(a_1, a_r), \ldots, (a_{r-1}, a_r)$$

apte electis in simpliciter connexam superficiem $F_{r,0}$ mutato ac trematibus $a_1, \ldots, a_r$ numeris $g_1, \ldots, g_r$ instructo homœometricum est, quod itaque in hoc casu ruta sit, delineato, $\eta = \mathfrak{p} + \mathfrak{q}\sqrt{-1}$, ubi $\mathfrak{p}$, $\mathfrak{q}$ canonicæ plani polygonum $\Phi_{r,0}$ continentis coordinatæ sunt, variabilem independentem introducimus, unde sequitur, ut $z$ uniformis et automorpha ipsius $\eta$ functio fiat et elementa æquationis $(A)$ systematis

fundamentalis $y_1, \ldots, y_n$ simul in uniformes ipsius $\eta$ functiones

$$y_k = \psi_k(\eta) \qquad (k=1, 2, \ldots, n)$$

mutentur, quæ sunt tales ut, si $\eta$ translationum coniunctionis $G$, quæ polygono $\Phi_{r,0}$ definitur, substitutionem $S_\nu$ subit, functiones $y_1, \ldots, y_n$ æquationis differentialis $(A)$ monodromiæ coniunctionis $\Theta$ homogeneam et linearem substitutionem $T_\nu$ subeant. Quæ uniformes functiones $\psi_k(\eta)$, quas ill. POINCARÉ Zeta-FUCHSianas appellavit, si polygonum $\Phi_{r,0}$ in BOLYAIano plano exsistit et si $r_{k1}, \ldots, r_{kn}$ cuncta realia sunt, seriebus

$$(B) \qquad \sum_{\nu=0}^{\infty} T_\nu^{-1} H_k(S_\nu \eta) \left(\frac{dS_\nu \eta}{d\eta}\right)^m \qquad (k=1, 2, \ldots, n)$$

serie quadam Theta-FUCHSiana divisis exprimi possunt,* ubi $H_1, \ldots, H_n$ rationales ipsius $\eta$ functiones denotant et $m$ positivus et integer numerus satis magnus est. Series $(B)$ convergentes esse ill. POINCARÉ, qui has series Zeta-FUCHSianas appellavit, considerationibus, quæ in plano BOLYAIano metiendo nituntur, adhibitis probavit.**

3. De problemate RIEMANNiano ad linearium æquationum differentialium theoriam proposito.

Functiones Zeta-FUCHSianæ in casibus quibusdam præsto sunt ad solvendam quæstionem ex quæ ill. RIEMANN in fragmento postumo *** linearium æquationum differentialium theoriam ædificare conatus est, quamquam eam solvi posse non probavit. Ex hac quæstione systema complexæ variabilis $z$ functionum, quæ præscriptis quibusdam singularibus punctis $a_1, \ldots, a_r$ exceptis undique uniformes, finitæ, continuæ sunt, in punctis ipsis autem haud indefinitæ fiunt ac simul

* POINCARÉ, Acta Mathematica, tom. V, pag. 257.

** l. c. pag. 233—235, 259—264.

*** Opera mathematica (Lipsiæ, 1890) pag. 379 squ.

præscriptas homogeneas lineares substitutiones $A_1, \ldots, A_{r-1}$ variabili $z$ sectiones $(a_1, a_r), \ldots, (a_{r-1}, a_r)$ directione positiva servata semel transgressa subeunt, indicetur. Serierum Zeta-FUCHSianarum ope hoc problema solvi posse auctor ea condicione probavit,* si substitutionum $A_1, \ldots, A_{r-1}$ et

$$A_r = A_1^{-1} \ldots A_{r-1}^{-1}$$

æquationum fundamentalium radicum valor absolutus unitati æqualis est.

Scriptum æstate anni MDCCCCII.

* Cf. Journal für Mathematik (Crelle), tom. 123, pag. 138 squ.

# INDEX.

# DE EA MECHANICÆ ANALYTICÆ PARTE QUÆ AD VARIETATES COMPLURIUM DIMENSIONUM SPECTAT

AUCTORE

PAULO STÄCKEL

PHILOSOPHIÆ DOCTORE, PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE KILONIENSE,
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SOCIO EXTRANEO,
ACADEMIÆ GERMANICÆ IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM SODALIS,
SOCIETATIS MATHEMATICÆ MOSCOVIENSIS MEMBRUM HONORARIUM

Acutissimi illi mathematici, BOLYAI pater et filius et LOBATSCHEFSKIJ, a quibus geometria ab undecimo axiomate EUCLIDEO non dependens stabilita est, quamquam eæ rationes, a quibus exorsi sunt, et methodi, quibus utebantur, geometricæ erant, geometriæ systemate mutato mechanicam analyticam quoque, quin etiam totam physicam mathematicam novis rationibus accommodandas esse iam perspexerunt.

LOBATSCHEFSKIJ in opere, quod inscribitur: Geometriæ prima elementa (1829), cum paucis indicavit, quantum geometria imaginaria ad mechanicam analyticam valeat, tum quæstionem movit, utrum ex parallaxibus stellarum fixarum axioma EUCLIDEUM de lineis parallelis verum esse necne diiudicari possit, et astronomorum mensuras, quatenus eorum observationes accuratæ esse possent, a geometria EUCLIDEA nihil abhorrere invenit. Nuper (1900) SCHWARZSCHILD, vir clarissimus, hanc rem distributionem stellarum fixarum respiciens tetigit; idem astronomos non habere, quod geometriæ EUCLIDEÆ, ut cum SCHWEIKARTO (1818) dicam, geometriam astralem anteponerent, demonstravit.

Item WOLFGANGUS BOLYAI rationes astronomicas adhibuit, cum in opere Generalis conspectus geometriæ, quo Tentaminis primus tomus (1832) finitur, hunc in modum dicit: «Aliud est si res non a priori sed quoad praxim consideretur et, pro data $\mathfrak{ab}$, rectæ $\mathfrak{ac}$, donec adhuc secet rectam $\mathfrak{bd}$, angulus a posteriori mensuretur:

nempe tum saltem a posteriori constabit $u$ a recto, pro tantis lineis quas nobis tentare licet, haud multum differre. Sed quid si ab usque ad Sirium protenderetur, aut ulterius? Utcunque sit, tempus ab æterno connata spatii soror, ei auxilio venit, et quum motus corporum cœlestium calculis $u = R$ posito innixis conveniant, pro omni mensurationum nostrarum sphæra, in praxi eidem suppositioni tuto conquiescere monet.»

In opere, quod inscribitur Scientia spatii absolute vera (1832), IOANNES BOLYAI, Wolfgangi filius, ad cuius diem natalem centenarium celebrandum hic libellus scriptus est, eam quæstionem neglexit. Idem in commentatione Germanice scripta, quam 1835 ortam esse putamus quæque recenti tempore inter scripta, quæ reliquit, inventa est, geometria absoluta adhibita mechanicam quoque constitui posse docuit. Quam rem amplius tractavit, ubi de opere Geometrische Untersuchungen zur Theorie der Parallellinien, quod LOBATSCHEFSKIJ 1840 edidit, iudicium fert, de quo iudicio paulo ante KÜRSCHÁK, vir clarissimus, et ipse quoque rettulimus. Cum mensuris terrestribus, ut ait BOLYAI, fieri non possit, ut inter geometriam EUCLIDEam et absolutam diiudicetur, differentia utendum esse, quæ in calculis oriatur, si planetarum loci primo ea conditione ad calculos vocentur, ut trianguli angulorum summa duos rectos efficiat et duorum corporum vis attractiva reciproca proportione esse ponatur superficiei sphæricæ, cuius radius duorum corporum cœlestium distantiæ æqualis sit, porro si deinde calculi angulorum summa magis magisque a duobus rectis discedente repetantur. Quodsi in differentia quadam planetarum motus cum motu calculis effecto convenire desinat, crescente autem differentia abhorrere non desinat, iure ac merito angulorum summam minus quam poneretur a duobus rectis differre concludi posse.

Iucundum est cognoscere planetæ motum circa corpus centrale a KILLINGIO, viro clarissimo, qui eandem attractionis legem atque IOANNES BOLYAI posuit, tractatum esse (1885); qui probavit motum ut in spatio EUCLIDEO lege NEWTONiana posita ita in spatio absoluto curvis secundi ordinis contineri et ad normam legum legibus KEPLERianis similium dirigi. Eadem attractionis lege, quam IOANNEM BOLYAI invenisse valde admirandum est, ei mathematici usi sunt, qui de theoria functionis potentialis ad spatium absolutum extensæ scripserunt; quam rem postea pluribus verbis tractabimus.

Multum tempus consumptum esse, priusquam ea, quæ LOBATSCHEFSKIJ et IOANNES BOLYAI de geometriæ principiis invenerant, a mathematicis comprobarentur, constat. Quam ob rem etiam plus temporis intercessisse, priusquam geometræ varietatum, quæ compluribus dimensionibus fruuntur, mechanicam attingere auderent, mirum non est. Tamen non sine causa LIPSCHITZ, vir illustrissimus, dixit (1873), eiusmodi disquisitiones revera satis antiquas esse, quippe quarum principia *Mechanica analytica*, cuius auctor LAGRANGE (1788) sit, iam contineri videantur. Constat enim magna pars mechanicæ analyticæ, eaque quæ permagni momenti est, in eis motibus investigandis, in quibus positio systematis corporum valoribus variabilium quarumdam independentium definitur, quarum numerus finitus est. Ut eiusmodi systematis motus ad æquationes differentiales revocetur, viris vivæ et laboris virtualis expressiones formari satis esse LAGRANGE demonstravit. Qui labor virtualis est variabilium illarum forma differentialis linearis, cuius coefficientes significant vires generalissimo sensu acceptas; illa vis est forma differentialis quadratica quadrato temporis differentialis duplici divisa. Quæ forma differentialis quadratica cum elementi linearis quadratum haberi possit varietatis cuiusdam tot dimensiones habentis, quot variabiles sunt,

sive, ut geometrarum anglicorum more dici solet, dimensionum numerum parem libertatibus systematis, adducimur, ut statuamus systematis motum, quem modo contemplati sumus, æquivalentem esse motui puncti singularis, quod in spatio complurium dimensionum vagatur operantibus viribus, quas laboris virtualis expressio producit. Quæ æquivalentia in eo consistit, quod æquationes differentiales, quibus motus puncti paret, eædem sunt atque æquationes differentiales, quibus motus systematis obtemperat.

Quæ dixi ut exemplis illustrem, problema trium corporum astronomicum problemati motus puncti singularis, quod in spatio novem dimensionum promovetur, æquivalens est. Porro gravidi turbinis sphærici motum æquivalentem esse motui puncti singularis, quod in spatio sphærico trium dimensionum idoneis viribus operantibus vagatur, F. KLEIN et SOMMERFELD, viri clarissimi, (1898) demonstraverunt. Si MAXWELLium (1873) et I. I. THOMSONem (1888), viros clarissimos, auctores secuti æquationes LAGRANGEianas parametris elasticis, electricis, magneticis, thermicis, chemicis adhibitis in omnibus physicæ mathematicæ generibus valere dicamus, eiusmodi æquivalentiarum numerus multo maior est; quam rationem probantes ad «mechanicorum modellorum» notionem, quam cum alii tum BOLTZMANN, vir clarissimus, stabiliverunt, perveniamus.

Aequationes differentiales, quas LAGRANGE proposuit, eo modo concipi posse, ut eis motus puncti in spatio complurium dimensionum vagantis dirigatur, iam docuit IACOBI in lectionibus, quas per sex menses anni 1842—43 habuit, quamquam in problematis peculiaribus substitit; quod eius meritum multis annis post innotuit, postquam CLEBSCH has lectiones anno 1866 edidit; quam rationem IACOBI a coordinatarum ellipticarum generalium notione profectus invenisse mihi videtur, quæ ab eo anno 1839 publici iuris facta erat. Neque

multum afuit, quin LIOUVILLE (1850, 1856) et MINDING (1864) æquationes LAGRANGEanas simili modo interpretarentur.

Postquam BELTRAMI (1869) varietatum, quæ compluribus dimensionibus fruuntur, lineas geodæticas simili ratione inveniri posse ostendit, qua in inveniendis lineis geodæticis superficierum curvarum geometræ usi erant, LIPSCHITZ, vir acutissimus, anno 1872, quomodo pro motu systematis finiti libertatum gradus compotis considerari posset motus «puncti repræsentantis», quod operantibus viribus, quæ laboris virtualis expressione continentur, promovetur in varietate complurium dimensionum determinata viris vivæ expressione, exposuit. Disquisitiones, quas BELTRAMI et LIPSCHITZ instituerant, a novis rationibus profectus et diversa addens DARBOUX, vir illustrissimus, anno 1889 denuo explicavit.

Quamquam quam fertilis esset hæc methodus, mathematici non ignorabant — id quod præcipue in problematum dynamicorum «æquivalentia analytica» disquirenda et in theoria «grupparum transformationum», cuius auctor est SOPHUS LIE, ad mechanicam abhibenda apparet, quod testantur disquisitiones a viro clarissimo PAINLEVÉ et a me ipso (1891—1897) institutæ — hæ rationes tamen a plurimis geometris non prius acceptæ sunt, quam HERTZ opere Principien der Mechanik (1894) effecit, ut victrices evaderent.

Unicuique systematis configurationi punctum varietatis supra commemoratæ respondet. Quomodo autem systema, si hac configuratione dispositum est, se habeat describenti velocitates, quarum eius partes compotes sunt, novisse necesse est; quam ad rem cognoscendam variabilium independentium differentialia tempore differentiali effecta sive velocitatis coordinatas invenisse sat est. Sed commodum est pro his velocitatis coordinatis valores linearium quorundam aggregatorum indicari, quæ ex differentiatione viris vivæ

respectis velocitatis coordinatis prodeunt; quæ aggregata nuper impulsus coordinatæ appellata sunt. Itaque qui sit systematis habitus, qui et partium singularium situ et velocitate earum definitur, puncto varietatis, cuius numerus dimensionum duplo maior est numero libertatum, repræsentatur. Quod punctum repræsentans, quo POINCARÉ, vir illustrissimus, in problemate trium corporum disquirendo iam (1890) usus erat, etiam ad theoriam caloris mechanicam excolendam multum valuit, cui investigationi BOLTZMANNii, viri illustrissimi, vestigia secuti ZERMELO (1900) et J. W. GIBBS (1902), viri clarissimi, operam dederunt. Mentione etiam dignum est, eisdem æquationibus differentialibus, quæ inter situs et impulsus coordinatas sunt, fluidi incompressibilis, quod in illa varietate repræsentante continetur, motum dirigi; quæ res in operibus auctorum quas modo commemoravi insignem locum obtinet.

Neque vero de punctorum solum repræsentantium motibus disputatum est, sed etiam geometræ ea libertate, quam suo iure sibi vindicant, usi varietatum, quæ compluribus dimensionibus fruuntur, mechanicam dignam esse, quæ per se ipsa investigaretur, iudicaverunt.

A varietate igitur complurium dimensionum profecti, cuius elementum lineare radix quadratica formæ datæ quadraticæ differentialis est, primum puncti, quod in illa varietate operantibus viribus datis promovetur, motum investigaverunt; qui motus æquationibus differentialibus LAGRANGEanis dirigitur. Deinde exorta est quæstio, num etiam theoria motus systematum rigidorum seu solidorum, quam D'ALEMBERT et EULER stabiliverunt, ad varietates complurium dimensionum applicari posset; qua in re initio a cinematica capto ad staticam et cineticam progrediendum est. Sed exemplum superficierum curvarum docet, ad varietates complurium dimensionum, nisi condi-

tionibus quibusdam satisfaciunt, cinematicam systematum rigidorum non posse adhiberi; quibus conditionibus efficitur, ut systemata quædam rigida in illa varietate aut libere aut intra terminos aliquos moveri possint. Campus magnus disquisitionum pulcherrimarum patet geometris varietates contemplantibus, in quas cinematica quædam cadit. Quæ disquisitiones eo iucundiores sunt, quod theoriæ «grupparum transformationum» adhibendæ facultatem dant, quoniam varietates, de quibus agitur, eæ ipsæ sunt, quarum elementa linearia gruppis continuis transformationum in se ipsa mutantur. Mauricium LÉVY, virum clarissimum (1878), cuius formularum non parva pars iam in commentatione invenitur, quam MASSIEU (1861) edidit, secuti recentibus temporibus viri clarissimi CERRUTI (1895), BIANCHI (1897), RICCI (1898), COTTON (1899), BEMPORAND (1899), DAVISSON (1900), LEVI-CIVITA una cum RICCI (1901) hanc rem ita tractaverunt, ut disquisitio varietatum trium dimensionum, quæ quidem ad reales variabiles pertineat, perfecta esse videatur.

Insignem in cinematica systematum rigidorum locum obtinent varietates, quæ constanti curvaturæ mensura fruuntur, cum in eis systemata quælibet rigida libere promoveri possint; qua proprietate varietates illas definiri ex disquisitionibus apparet, quas HELMHOLTZ (1866, 1868) et SOPHUS LIE (1886, 1893) instituerunt. Hinc explicari mihi videtur, quod usque ad hunc diem geometræ in disquirendis motibus systematum rigidorum, quæ varietatibus curvatura constanti fruentibus continentur, omne studium posuerunt; varietatum enim EUCLIDEarum curvatura, quippe quæ evanescat, constans haberi debet. De quibus disquisitionibus infra fusius agendum erit.

Postquam exposuimus, quæ varietatum compluribus dimensionibus fruentium mechanica sit, quæstiones singulæ, quibus geometræ operam dederunt, tractandæ sunt. Atque primum de eis disquisitionibus aga-

tur, quæ ad motum puncti singularis vel complurium punctorum, deinde de eis, quæ ad motum systematum rigidorum pertinent. Cum illic varietatum, in quibus puncta vagantur, natura admodum varia sit, hic nullæ varietates nisi curvatura constanti fruentes adhuc a geometris disceptatæ sunt. Appendicis loco nonnullæ disquisitiones enumerentur, quæ ad systematum deformabilium theoriam spectant.

Quæstionem de motu puncti propositam, quod e centro fixo ea vi attrahitur, quæ distantiæ centralis functio est, BINET (1837) a tribus ad quemlibet dimensionum numerum extendit; quam rem vir clarissimus COMBESCURE (1881) ipse quoque tetigit. Tum SCHERING (1873) quæsivit, quomodo res se habeat, si vis non solum a distantia centrali, sed etiam a puncti velocitate dependeat, atque EBERT, vir clarissimus, (1902) de motu complurium punctorum se invicem attrahentium disseruit. Planetarum orbitas in spatiis curvaturæ constantis vagantium viri illustrissimi LIPSCHITZ (1873), CAYLEY (1873), KILLING (1885) contemplati sunt atque PHRAGMÉN, vir clarissimus, (1890) theoremata quædam a clarissimo viro POINCARÉ de trium corporum invicem attrahentium motu in spatio EUCLIDEO proposita eadem via persecutus est. Alias quasdam quæstiones de motu puncti in varietate curvaturæ constantis promoti DA FRANCESCO (1898) tractavit, qui mechanicæ elementaris cursum ad hoc genus mechanicæ generalis transferre conatus est.

Ad motum in spatio EUCLIDEO complurium dimensionum disquirendum non sine fructu adhibentur coordinatæ ellipticæ generales, quarum theoriam IACOBI (1839) explicavit; quas adhibentes sæpe ad integrationem æquationis differentialis HAMILTONianæ pervenimus, quippe quæ eo modo variabilibus separatis ad quadraturas reducatur. Quam rationem HÆDENKAMP (1841), SCHLÆFLI (1852), ROSOCHATIUS (1877), RUDIO, vir clarissimus, (1898) accuratius persecuti sunt. Ele-

mentorum linearium formas generaliores, quarum ope integratio variabilibus separatis effici possit, LIOUVILLE (1849) et auctor (1891) indicaverunt. Neque silentio prætereundus videtur vir clarissimus DARBOUX, qui 1898 in spatio EUCLIDEO complurium dimensionum pro superficiebus secundi ordinis confocalibus, quæ coordinatas ellipticas præbent, cyclides confocales adhibuit. A disquisitionibus, quas WEIERSTRASS (1866) et vir clarissimus STAUDE (1887) instituerant, profectus equidem (1891, 1900) investigavi, quomodo in classe problematum dynamicorum a me anno 1891 detecta variabiles a tempore dependeant. Qua in re functiones quædam complurium variabilium exstiterunt compluribus periodis fruentes, quarum theoriam AHRENS, vir clarissimus, (1895) fusius explicavit. Denique PAINLEVÉ, vir illustrissimus, (1894) theoremata nonnulla generalia proposuit, quibus motus puncti intra varietatem complurium dimensionum vagantis accurate describitur. Magna copia extat disquisitionum ad formas quadraticas differentiales pertinentium, quas problematis dynamicis tractandis adhiberi posse apparet; quæ tamen, cum mere analyticæ sint, hoc loco prætermittendæ videntur.

Iam vero de mechanica systematum rigidorum dicendum est, qua in re primum cinematicam et staticam, deinde theoriam functionis potentialis, denique cineticam tractabimus atque ita, ut per totam hanc tripertitam quæstionem primum spatia EUDLIDEA complurium dimensionum, tum spatia constanti curvaturæ mensura fruentia consideremus.

Cinematica excolenda a geometria ad dynamicam viam aperit. Quam enim arte cinematica cum geometria cohæreat, cum ex aliis rationibus tum inde cognoscitur, quod theoria EUCLIDEA linearum curvarum duplicis curvaturæ contemplationum cinematicarum ope dilucide explicatur. Quam viam HOPPE (1880), BRUNEL (1881), PIRON-

DINI (1890), LANDSBERG (1897), PICCIOLI (1898), LOVETT (1900), HARDY (1902) ad lineas curvas, quæ spatiis EUCLIDEis complurium dimensionum continentur, transtulerunt. Et eadem ratio cadit in superficierum curvarum proprietates. Qua in re mirum non est «methodum cinematicam», qua imprimis DARBOUX, vir illustrissimus, (1887) spatium EUCLIDEum trium dimensionum considerans usus erat, a viris clarissimis CRAIG (1898) et HATZIDAKKIS (1900) spatiis complurium dimensionum adhibitam esse. Neque prætereundum est virum illustrissimum LIPSCHITZ (1876) curvaturæ theoriam eo modo extendisse, ut relatione uteretur, quæ inter radium curvaturæ atque pressum normalem puncti in linea vel superficie aliqua mobilis exsistit.

De cinematica corporis solidi, quod in spatio EUCLIDEO complurium dimensionum promovetur, multi auctores egerunt. Ex quibus primum fortasse EULERUM (1770) nominaverim, quem formulas quasdam, quibus coordinatarum CARTESIanarum systematis transformatio dirigitur, ad quatuor vel plures dimensiones extendisse in commentatione anno 1849 scripta, anno autem 1884 a viro clarissimo KORTUM edita ostendit IACOBI. Cuius vestigiis, ut videtur, insistens, SCHLÆFLI (1859, 1866) huic rei operam dedit. Nuper de legibus, secundum quas corpus solidum in spatio EUCLIDEO quattuor dimensionum promovetur, scripserunt viri illustrissimi JORDAN (1875), COLE (1890), GOODWIN (1899), JAHNKE (1902). Easdem leges in spatio quinque dimensionum CANNIZZO (1896), in spatio $n$ dimensionum JORDAN (1875), LIPSCHITZ (1880, 1886, 1896, 1900), SCHEEFFER (1880), KOX (1881), SCHOUTE (1891), STUDY (1891), VAHLEN (1897, 1902), JOLY (1898), WHITEHEAD (1898) persecuti sunt. Mentione etiam dignum est has disquisitiones arte cum numerorum complexorum theoria cohærere.

a spatiorum EUCLIDEorum complurium dimensionum

neglecta est, nisi quod SCHOUTE, vir clarissimus, (1902) memorandus videtur, qui in systematis virium reducendis versatus theoremata nota, quorum auctores sunt CHASLES et MŒBIUS, ad complures dimensiones extendit.

Prorsus aliter res se habet in spatiis curvatura constanti fruentibus, quo in genere a statica ordiri idoneum mihi videtur.

DAVIET DE FONCENEX (1762) quomodo vires, quibus corpus rigidum tangitur, componendæ sint, a simplicissimis compositionis proprietatibus profectus exponere conatus est. Quanta sit vis resultans duarum virium, quibus eadem intensitas insit quarumque directiones eodem plano contineantur atque eædem lineæ rectæ normales sint, æquatione quadam definitur functionali, cui satisfit, cum functio determinanda magnitudini constanti æqualis ponitur; qua re ad principium vectis ARCHIMEDEum pervenitur. Cui æquationi functionali etiam satisfieri, cum functio expressioni æqualis ponitur, quæ ex functionibus exponentialibus constat, D'ALEMBERT (1773) et LAPLACE (1799) animadverterunt; quam solutionem qui accipiat, eum ad geometriam absolutam deduci necesse esse GENOCCHI (1869) demonstravit. Cum autem geometria absoluta posita eadem lex virium componendarum adhibenda sit, sequitur ut et axioma undecimum EUCLIDEum et principium vectis ARCHIMEDEum æquo iure aut accipienda aut reicienda sint. At ratio vires, quarum directiones sese intersecant, componendi virium parallelogrammate conservato valet sive accipias sive spernas axioma parallelarum, dummodo constructiones in campo infinite parvo efficiantur; atque simili modo laboris virtualis principium ab axiomate parallelarum non dependet. Quam rem viri clarissimi GENOCCHI (1869), LINDEMANN (1873), ANDRADE (1897), DA FRANCESCO (1899) tractaverunt.

Systema virium, quibus corpus solidum tangitur, mechanica EUCLI-

DEa valente semper reducitur ad vim singularem, quæ ex puncto arbitrario operatur, et par virium, quod viri singulari æquivalet infinite parvæ, quæ continetur plano in infinitum remoto. Cui de systematis virium reducendis doctrinæ doctrina de motibus corporis rigidi infinite parvis componendis respondet, quos motus semper ad rotationem circum axem per punctum arbitrarium transeuntem et translationem singularem reduci posse constat. Qua in re cum lineis rectis, per quas vires operantur, rotationum axes tum viribus, quæ continentur plano in infinitum remoto, translationes respondent; quo efficitur, ut statica et cinematica corporis rigidi dualitatis relationem habeant. Iam illud adhibendo, quod KLEIN, vir illustrissimus, (1871) docuit, geometriam absolutam et theoriam mensurarum proiectivam a clarissimo viro CAYLEY (1859) constitutam inter se cohærere — eo autem cohærent, quod pro motibus spatii absoluti transformationes proiectivas ponere licet, quibus superficies secundi ordinis absoluta non mutatur — eo pervenimus, ut spatio curvaturæ constantis posito theoriam motuum corporis rigidi infinite parvorum una cum theoria compositionis virium infinite parvarum, quibus corpus solidum tangitur, admiranda quadam facilitate stabiliamus. Qua in re contemplanda cognoscitur, in mechanica absoluta differentiam et inter rotationes atque translationes et inter vires singulares atque paria virium tollita, ut sex coordinatarum, quæ sunt et motus infinite parvi et, ut cum PLÜCKERIO dicam, dynameos infinite parvæ, unaquæque ceteras quinque æquiperet et idem ius habeat. Perinde, ut hoc præcipiam, in corporis rigidi cinetica absoluta pro tribus theorematis, quæ sunt de motu centri gravitatis, et pro tribus theorematis, quæ sunt de summa arearum descriptarum, sex theoremata se æquiperantia idemque ius habentia stabiliuntur. Et cum in mechanica EUCLIDEa sæpe fiat, ut et translationes et rotationes separatim disquirantur, in mechanica abso-

luta ista separatio nunquam fieri potest. Cuius rei auctores nominentur viri clarissimi LINDEMANN (1873), D'OVIDIO (1873), STAHL (1873), RICORDI (1882), HEATH (1884), SEGRE (1885), F. KLEIN (1873, 1890), BURNSIDE (1895), SEILIGER (1897).

Geometræ mechanicam EUCLIDEam exsequentes theoriam stabiliverunt, qua cum motus corporis rigidi infinite parvi tum dynames corpus tangentes quantitatum simplicium neque in partes divisibilium locum obtinent, dico theoriam cochlearem, quam BALL, vir clarissimus, 1880—1890 constituit, ad umbilicum duxit nuper (1902) STUDY, vir clarissimus. Quæ theoria cum in mechanica EUCLIDEa sæpe utilis sit, in mechanica absoluta non modo semper idonea, sed etiam prorsus necessaria est. Suo igitur iure geometræ in theoria cochleari ad spatia curvaturæ constantis transferenda magnam operam sumpserunt. Præter huius theoriæ auctorem ipsum, cuius disquisitiones GRAVELIUS (1889) pluribus verbis exposuit, in hoc genere viri clarissimi nominandi sunt CLIFFORD (1876), BUCHHEIM (1884), HEATH (1884), KOTELNIKOFF (1895, 1899), BURNSIDE (1889), STUDY (1900, 1902).

Theoriam functionis potentialis in spatiis complurium dimensionum EUCLIDEis valere iam GREEN (1833, 1835) animadvertit, qui præcipue potentialem ellipsoidis generalis tractavit. Quam rationem SCHLÆFLI commentatione annis 1850—1852 confecta, anno 1901 autem ex scriptis postumis edita accuratius perspexit, qui ellipsoidis generalis et massa impletæ et per superficiem massa constratæ functionem potentialem contemplatus est. Post GREENium primus C. NEUMANN (1867) disquisitiones de potentiali generali publici iuris fecit. Eum KRONECKER (1869) secutus est, qui annis 1881 et 1891 ad eandem rem rediens ellipsoidis generalis functionem potentialem formula elegantissima expressit. Deinceps de theoria generali potentialis scripserunt viri clarissimi BELTRAMI (1869), BETTI (1871), TONELLI

(1875, 1882), CAYLEY (1876), GUNDELFINGER (1878), MACHER (1878), GUTZMER (1890, 1893), SCHÜTZ (1895), DYCK (1898), POINCARÉ (1898). Casus peculiares tractaverunt HOPPE (1880), nempe sphæram, HOBSON (1896), nempe pateras ellipsoidicas et discos, DIXON (1897), nempe corpora in anulorum speciem formata, WIRTINGER (1897), nempe corpora, quorum superficies varietatibus sphæricis constant.

Vir illustrissimus LIPSCHITZ (1872) rettulit, mathematicum acutissimum DIRICHLET iam anno 1852 theoriæ potentialis ad spatium hyperbolicum transferendæ operam dedisse; quem a viro summo GAUSSIO instigatum esse putaverim. Postea et SCHERING (1873) et qui eius scholis interfuerunt viri clarissimi FRESDORF (1873), TONELLI (1875), OPITZ (1881) de ea re egerunt. Quantæ difficultates obstent theoriæ potentiali extendendæ ad spatia curvatura constanti positiva fruentia vir illustrissimus F. KLEIN (1891) docuit. In spatiis sphæricis enim omni massæ attrahenti eadem massa respuens in puncto averso respondet; id quod quamvis mirum tamen non absurdum est. At in spatiis ellipticis functionis potentialis elementum duobus valoribus frui necesse est; id quod a mechanicæ principiis omnino abhorrere perspicuum est.

Corporum rigidorum cineticæ massarum geometria quæ dicitur præmitti solet, in qua de inertiæ axibus principalibus atque de inertiæ et deviationis momentis principalibus investigandis agitur. Quod spatia elliptica attinet, CLIFFORD (1874) ab imagine imaginaria, quam HESSE adumbravit, profectus axium inertiæ theoriam explicavit. In geometria enim EUCLIDEA tetraedrum polare imaginis imaginariæ et circuli sphærici imaginarii in infinitum remoti tribus in campo finito sitis fruitur aciebus, ut hoc vocabulo significem lineas rectas binarum hedrarum communes. Quæ acies tres axes inertiæ principales exhibent, cum ceteræ tres acies plano in infinitum remoto

continenantur. Quoniam vero in spatio elliptico pro circulo imaginario exstet superficies secundi ordinis absoluta, tetraedrum polare huius superficiei et imaginis imaginariæ sex axes inertiæ principales exhibet. De momentis et inertiæ et deviationis haud multi auctores, viri clarissimi KILLING (1885), HOPPE (1887), S. KANTOR (1896), egerunt.

Corporis rigidi rotationem circa punctum fixum, si spatium EUCLIDEum complurium dimensionum ponatur, iam CAYLEY (1846) tetigit, qui qua ratione æquationes differentiales motum dirigentes inveniantur breviter perstrinxit. Quarum æquationum formulas accuratas FRAHM (1873) indagavit. Idem æquationes quasdam integrales, quæ corpore sine virium externarum ope promoto valent, detexit et intra numerum quattuor dimensionum consistens, dummodo constantes problemati propriæ relationes quasdam habeant, integrationem solis quadraturis effici posse statuit. Tum CLIFFORD (1876) corpore sine virium externarum ope promoto æquationes differentiales integrare conatus est functionibus illis celeberrimis, quæ litera theta significantur, cum argumenta functionibus linearibus temporis æqualia ponantur. Sed KILLING, vir clarissimus, (1885) demonstravit, hanc solutionem peculiarem esse neque ubique valere, quippe quæ non satis magnum numerum constantium arbitrariarum præbeat. Denique SCHOTTKY, vir clarissimus, (1891) pro casu quattuor dimensionum solutionem generalem quadraturis expressit.

